DE VI ET USU CONIUNCTIVI FUTURI PERIPHRASTICI APUD CICERONEM.

COMMENTATIO,

QUAM

PERMITTENTE AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPH. LUND.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

IVAR LINDVALL,
PH. LIC. GOTHOB.

IN AUDITORIO VI.
A. D. VII CAL. IUN.
H. A. M. X.

GOTHOBURGI.
FORMIS DESCRIPSIT GÖTEBORGS HANDELSTIDNINGS AKTIEBOLAG.
1888.

Priusquam ad rem propositam tractandam aggrediamur, pauca nobis praefanda esse videntur de vi et usu *indicativi* futuri periphrastici. Cuius quidem vis et significatio duplex omnino est, una subjectiva et in voluntate alicuius vel ratione aliqua posita, altera objectiva et vere temporalis. [1]) Quarum significationum utra prior magisque propria sit, si quaeramus, dubitari non posse videtur, quin subjectiva sit, cui debeat originem altera. Nam quum formam verbalem in -turo, -suro exeuntem ex substantivis illis in -tor, -sor exeuntibus derivandam esse vulgo putent [2]), ex significatione horum substantivorum subjectivam futuri periphrastici vim eruere facile esse videtur. Conferas velim exempli gratia Tusc. Disput. IV § 27: »differt anxietas ab angore: neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec qui anxii semper anguntur, ut inter ebrietatem et ebriositatem interest aliudque est *amatorem* esse, aliud *amantem*»: facile invenies, quam arte inter se cohaereant voluntatis et consilii vis participii futuri et ea significatio, quae in vocabulo *amator* inest. Quod autem ad objectivam futuri periphrastici vim attinet, maxime est quaerendum, quomodo inter se habeant praesens indicativi futuri periphrastici et futurum simplex. Atque inter haec tempora illud intercedit discriminis, quod futurum simplex, ut docet Madvigius [3]), significat aut aliquid omnino esse futurum aut aliquid certo quodam futuro tempore fieri, indicativus praesentis futuri periphrastici autem indicat aliquid *praesenti* tempore esse futurum.

Triplex omnino est usus huius praesentis indicativi futuri periphrastici. Usurpatur enim

1) in enuntiationibus relativis, ubi de *veris futuris* agitur i. e. iis, quorum, ut est Fat. § 27, »consequenti tempore vera erit instantia.» Hic semper praesens indicativi futuri periphrastici: *futura sunt, eventura sunt, futurum est,* non futurum simplex legitur. Exempla habes Fat. §§ 17, 33.

2) Alter est usus indicativi praesentis futuri periphrastici eiusmodi, ut inter se opponantur vel copulentur aut tria illa temporis genera aut praesens et futurum aut praeteritum et futurum.

Hic usus non constans est. Ut fam. XI, 21, 1: »homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui *futuri sunt*» praesens indicativi futuri periphrastici legitur; or. ad Quir. § 16: »Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, *erunt,* virtute, sapientia, gloria princeps» futurum simplex positum est.

---

[1]) De objectiva futuri periphrastici vi cfr. Chr. Cavallin, Pedagogisk Tidskrift 1869, libell. 5 pagg. 244—245.

[2]) Cfr. Kühner, Ausf. Lat. Gr. I § 170, 3.

[3]) Lat. Gr. § 339.

3) Omnino usurpatur praesens indicativi futuri periphrastici in enuntiationibus secundariis, maxime hypotheticis, ubi quid a tempore praesenti spectatum de futuro pronuntiatur. Pro exemplis afferam

Cato M. § 6: faciam vero, Laeli, praesertim si utrique vestrum, ut dicis, gratum *futurum est:*

Att. XII, 1, 1: et tamen, etsi continuo *congressuri sumus,* scribes ad me, si quid habebis.

Fam. IX, 11, 1: sed, quoniam brevi tempore, ut opinio nostra est, te *sum visurus,* ita me affectum offendes, ut multum a te possim levari.

Ad Pontifices or. § 25: dicam ipso audiente quod sensi et sentio, quoquo animo me *auditurus est.*

His breviter praemissis ad propositum nostrum tractandum transibimus, in quo ita agemus, ut vim et usum conjunctivi futuri periphrastici per singula enuntiationum genera persequamur. Initium faciemus ab enuntiationibus relativis, sequentur deinceps quaestiones indirectae, enuntiationes hypotheticae, concessivae, comparativae, causales, temporales, consecutivae, enuntiationes a *quin* et *ne* incipientes, enuntiationes *nedum* et *forsitan* continentes.

Restat, ut afferam, quibus maxime adjumentis usus sim.

Editiones adii has:

M. Tullii Ciceronis opera quae supersunt omnia ex recensione Jo. Casp. Orellii. Ed. alt. emendat. Vol. I et II.

M. Tullii Ciceronis scripta quae manserunt omnia recognov. Reinh. Klotz.

M. Tullii Ciceronis scripta quae manserunt omnia recogn. C. F. W. Mueller. Part. II Vol. I, II, III. Part. IV Vol. I, II, III.

M. Tullii Ciceronis opera quae supersunt omnia ediderunt I. G. Baiter et C. L. Kayser

M. Tullii Ciceronis epist. ad Att. libri XVI. Rec. et adnot. illustr. I. C. G. Boot Amstelodami 1865.

Grammaticos quum alios tum hos consului:

Draeger, Historische Syntax der Lateinischen Sprache.

Kühner, Ausführliche Grammatik der Lat. Sprache.

Madvig, Lateinische Sprachlehre für Schulen. Braunschweig 1857.

Lattmann und Müller, Lat. Schulgrammatik. Göttingen 1872.

Hoppe, zu den Fragmenten und der Sprache Ciceros. Gumbinnen 1875.

Hoppe, der Conjunctiv der Conjugatio periphrastica activa in indir. Fragen und Bedingungssätzen. Gumb. 1879.

Quos praeterea adhibuimus aut editores aut grammaticos, suo quemque loco nominabimus.

Enuntiationes relativae.

In enuntiationibus relativis conjunctivi praesentis, imperfecti, perfecti futuri periphrastici exempla inveni. Causae conjunctivi modi adhibiti variae sunt: aut enim causalem vim habet sententia relativa aut consecutiva sententia est aut sententia secundaria orationis obliquae aut denique conjunctivus modus positus est per attractionem modi, quam vocant.

Exemplorum, quae huc pertinent, prima partitio haec esse debet:

I. Conj. praes., impf., perf. futuri periphrastici in relativis sententiis leguntur, quibus quid pronuntietur nulli obnoxium condicioni.

II. Conjunctivi praes. et imperf. fut. periphr. in sententiis relativis adhibiti, quae subjectae sunt alicui condicioni.

I. Relativa sententia nulli subjecta est condicioni.

Conj. *praes.* fut. periphr.

Conj. praes. fut. periphr. in his sententiis relativis variis significationibus usurpatur, quae ad quattuor omnino genera referri posse videntur.

Usurpatur enim conj. praes. fut. periphr.

1) de eo, qui in animo habet aliquid facere;

2) de eo, quod de futuro ita pronuntiatur, ut certa aliqua ratio spectetur, unde deducatur;

3) in ea significatione, qua quid facultatem habere alicuius rei faciendae vel posse aliquid facere indicetur;

4) in objectiva futuri *temporis* vi.

1) De eo, qui in animo habet aliquid facere positus est conj. praes. fut. periphr. his locis:

Or. Sest. § 133: lex — vetat gladiatores biennio, quo quis petierit aut *petiturus sit,* dare.

Sic hoc exemplum sese habet apud Klotzium, Muellerum, in ed. Orell. altera. Kayserus verba: *petierit aut* uncis seclusit. Auctor est Madvigius, qui (Op. Ac. pr. pg. 501) haec verba delenda censet neque id injuria. Nam plane absurdum est vetare, biennio *post* petitionem blandimenta populi adhiberi. Accedit, quod Scholiasta Vat. in suo codice haec verba legisse non videtur, quum haec adnotet: »praescribebatur enim inter alia, ne candidatus *ante* biennium, quam magistratum petiturus esset, munus populo ederet.« Praeterea commemoratur haec lex etiam in Vatin. § 37: biennio, quo quis *petat petiturusve sit* gladiatores dare. Fortasse nostro quoque loco legendum est: petat petiturusve sit. Neque enim plane perversum esse videtur cogitare, lectionem codicibus nostris traditam inde originem traxisse, quod in libro archetypo quum scriptum fuerit: *pet at* petiturus sit, id a librario ita correctum sit, ut

terminatione *—at* verbi, quod est *petat,* in *aut* mutata reliquam verbi partem in *petierit* transformaret.

Finn. II § 12: deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerint? Quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse eum, qui *futurus sit* philosophus, scire litteras.

Tusc. Disp. I § 96: Graeci enim in conviviis solent nominare cui poculum *tradituri sint.*

Nominare sc. eum. Conj. per modi attractionem positus est. Pro quaestione indirecta hanc sententiam habet *Hoppe,* der Conj. etc. pg. 7.

Interrogatio autem indirecta esse non potest sententia a *cui* incipiens propter significationem verbi nominandi ɔ: nomen alicuius pronuntiare.

(Qu. Cic.) De Pet. Consul. § 45: hoc quidem facile praeceptum est, ut, quod *facturus sis,* id significes te libenter esse facturum.

2) De eo, quod de futuro ita pronuntiatur, ut certa aliqua ratio spectetur, ad quam referatur.

Pro natura et vi huius rationis varie licet vertere huiusmodi futurum periphrasticum.

De eo, quod futurum esse concludi potest:

Divin. II § 15: potestne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis qua re *futurae sint,* esse ulla praesensio?

Ibdm. § 17: qui potest provideri quidquam futurum esse, quod neque causam habet ullam neque notam cur *futurum sit?*

De eo, quod futurum esse certum et notum est, positum est fut. periphr.:

Brut. § 290: quum surgat is, qui *dicturus sit,* significetur a corona silentium.

ɔ: quem dicturum esse sciat corona.

De eo, quod divinitus vel natura alicui faciendum tributum est, positum esse videtur fut. periphr:

Fam. II, 5, 2: ea para, meditare, cogita, quae esse in eo civi ac viro debent, qui *sit* rem publicam afflictam in veterem dignitatem et libertatem *vindicaturus.*

In natura alicuius rei posita est ratio:

Off. I § 35: mea quidem sententia paci, quae nihil *habitura sit* insidiarum, semper est consulendum. ɔ: de qua non sit metuendum, ne quid habeat.

Or. pro Rabirio Postumo § 24: plane confiteor fieri nihil posse dementius quam scientem in eum locum venire, ubi libertatem *sis perditurus.* ɔ: ubi libertatem perdas necesse sit.

In voluntate alicuius, non eius, de quo praedicatur sententia relativa, sed alterius posita esse videtur ratio:

De Orat. II § 129: nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam *adjudicaturus sit,* aut inclinatione voluntatis propendeat in nos aut defensionis argumentis adducatur aut animi permotione cogatur. ɔ: is, quem nobis causam adjudicare velimus.

Conj. per modi attractionem positus est, quum in sententia ab *ut* incipiente inclusa sit sententia relativa. Conjunctivum autem hunc non esse conj. futuri simplicis verum praesentis indicativi futuri periphr., inde concludo, quod eadem est inter hanc sententiam relativam eiusque primariam sententiam ratio, quae propria est conjunctionum sententiarum, quales sunt: »me ames aportet, non mea, si veri amici futuri sumus» (Finn. II § 85); »respersas manus sanguine paterno judices videant oportet, si tantum facinus credituri sunt» (Sex. Rosc. Am. § 68.). Atque huiusmodi periodorum hypotheticarum id proprium esse videtur, ut sententia secundaria aliquid expeti ab aliquo sumatur, ad quod consequendum id, quod sententia pri-

maria effertur, necessarium sit. A quo expetatur id, quod sententia secundaria sumitur, ex perpetuitate verborum videre licet. In exemplis allatis versatur res in aliorum voluntate quam eius, de quo praedicatur sententia secundaria. Potest tamen etiam de voluntate subjecti sententiae secundariae agi, ut in Tusc. Disp. V § 13: tu, si quid *es facturus*, nova aliqua conquiras oportet.

Postremum est observandum, in huiusmodi periodis hypotheticis pro futuro periphrastico etiam verbum, quod est *velle*, in protasi locum posse habere. Pro exemplo afferam Tusc. Disp. V § 67: eius (= mentis) bono fruendum est igitur, si beati esse *volumus*.

Duo exempla restant ad afferendum, in quibus dubitare liceat, utrum conjunctivus periphrast., qui in iis inest, hanc subjectivam vim, de qua nunc egimus, qua quid de futuro ita pronuntietur, ut certa aliqua ratio spectetur, an objectivam futuri temporis significationem habeat. Ex. sunt:

Tusc. Disp. I § 35: veri simile est, quum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum *sit habiturus*.

Cat. M. § 66: mors etiam optanda, si aliquo animum deducit, ubi *sit futurus* aeternus.

3) Conjunctivus praes. fut. periphr. ea significatione, qua potestas et vis alicuius rei indicetur.

Unum exemplum huc referendum, quod tamen ita comparatum est, ut duplicem admittat explicandi rationem, prout conjunctivus per modi attractionem positus esse habeatur aut ad genus consecutivum referatur.

Exemplum est

Or. pro Murena § 19: magna laus et grata hominibus unum hominem elaborare in ea scientia, quae *sit* multis *profutura*.

In quo ex. si conj. sent. relat. per modi attractionem positus esse habetur, magis per se indicatur, qualis scientia, de qua agitur, sit, atque in forma periphrastica potestatis et facultatis vis inest. Contra si sententia relativa consecutiva sit, haud scio an futurum periphr. objective aliquid esse futurum enuntiet, atque non tam indicetur, qualis per se sit scientia juris civilis, sed qualis haec scientia a Ser. Sulpicio tractata futura sit.

4) Conj. praes. fut. periphr. mera futuri temporis vi praeditus.

Adhuc versati sumus in iis exemplis conjunctivi praesentis fut. periphr., quae ad indicativum praesentis eiusdem conjugationis responderent. Quae nunc afferemus exempla, de iis saepe difficile est dijudicare, utrum ad praesentia indicativi conjug. periphr. an ad futura simplicia respondeant ea praesentia conjunctivi conjug. periphr., quae in iis insunt. Verum tamen nonnulla ex. eiusmodi sunt, de quibus pro certo statuere liceat, ad praes. ind. conjug. periphr., non ad futura simplicia respondere eorum praesentia conjunctivi conjug. periphr. Sunt ea exempla, in quibus sententiae relativae: quae futura sint, quae eventura sint de *veris futuris* positae sunt.[1])

Exempla sunt:

Fat. § 20: nec ii, qui dicunt immutabilia esse quae *futura sint* nec posse *verum futurum* convertere in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur.

Fat. § 32: multum enim differt utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat an etiam sine aeternitate naturali, *futura* quae *sint*, ea vera esse possint intelligi.

Fat. § 13: tu, et quae non *sint futura*, posse fieri dicis.

---

[1]) Cfr. praef

Ut h. l. editores sic inter se discrepant, ut »futura sint» Muellerus et Baiterus legant, »futura sunt» Klotzius, sic duobus aliis locis in modo verbi sententiae relativae statuendo editores non consentiunt:

Div. II § 102: neque nostra nihil interest scire ea, quae *futura sint.*

Ibdm § 105: at nostra interest scire ea, quae *eventura sint.*

His duobus locis conjunctivum habet Klotzius, indicat. Baiterus et Muellerus. Eadem fere verba inveniuntur: Div. I § 82, ubi tamen etiam Klotzius indicativum legendum censet: neque nostra nihil interest scire ea, quae *eventura sunt.*

Ad dijudicandum, utrum conjunctivus an indicativus his locis legendus sit, omnia in auctoritate codicum posita esse videntur. Nam quae disputat Muellerus (Fleckeiseni Annal. 1864 pag. 629), indic. his locis necessarium esse, propterea quod pronomen *ea* antecedat, vere essent disputata, si conjunctivus modus his locis nulla alia ratione explicari posset quam pro conjunctivo quaestionis indirectae. Quod nimirum longe aliter sese habet. Quid enim obstat, quominus hic conjunctivus per modi attractionem positus esse habeatur? Ac quum ea sit codicum ratio, ut II § 105 *omnes,* I § 82 *plures* codices *sint* habeant, non dubito, quin his duobus locis codicum auctoritatem esse sequendam censeam. Quod autem ad tertium illum locum attinet: II § 102, quamquam unus tantum codex *sint* praebet, tamen, quum hoc loco repetatur eadem ratio Stoicorum, qua divinationem esse concluditur, quae I § 82 scripta fuit, fortasse ad similitudinem plenam efficiendam hoc quoque loco conjunctivus legendus est.

Objective fortasse positum est etiam illud »futura sint», quod scriptum invenitur

Div. I § 127: qui enim teneat caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae *futura sint.*

In sententia relativa universali legitur »futurum sit» objectiva fut. temporis vi praeditum

Fat. § 13: quidquid *futurum sit,* id dicit fieri necesse esse et, quidquid non *sit futurum,* id negat fieri posse.

Alia sunt exempla conj. praes. fut. periphr. objectiva futuri temporis vi praediti ita comparata, ut in iis inter se opponantur aut tria illa temporis genera, praes., praeteritum, futurum, aut tempus praesens et futurum aut denique praeteritum et futurum. In huiusmodi sententiis indicativo modo utentibus quum saepenumero apud Ciceronem indic. praes. fut. periphr. adhibeatur [1]), sequitur, ut hic conj. praes. fut. periphr. *indicativo praes. fut. periphr.* respondere possit.

Ex. sunt haec:

Div. I § 126: fatum causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, *facta sint,* et quae instant *fiant* et quae sequuntur *futura sint.*

N. D. I § 116: an quidquam eximium potest esse in ea natura, quae sua voluptate laetans nihil nec *actura sit* umquam neque *agat* neque *egerit.*

Praesens et futurum inter se opponuntur:

Fat. § 13: ille id solum fieri posse dicit, quod aut *sit* verum aut *futurum sit* verum.

Fat. § 17 (Id.)

Praeterito opponitur futurum:

N. D. III § 32: natum sit, *futurum sit,*

Att. XI, 7, 5: detulerint, *delaturi sint;*

De Orat. II § 306: dixeris, *dicturus sis;*

Divin. in Caecil. § 71: fuerit, *futura sit.*

---

[1]) Cfr. praef.

Reliqua ex., in quibus conj. praes. fut. periphr. objectiva futuri vi praeditus est, haec sunt:

Divin. I § 36: mentiri (hos) judicemus nec saeculorum reliquorum judicium, quod de ipsis *futurum sit*, pertimescere.

In hoc ex. quaerere licet, utrum verba: *quod de ipsis futurum sit* pro sententia relativa an quaestione indirecta sint habenda. Muellerus, commatis post *nec* et *sit* positis, indicat, se hanc sententiam pro interrogatione indirecta habere. Sed etiam interpunctione Klotzii, quam supra retulimus, recepta haud scio an haec verba quaestionem indirectam accipere liceat, cuius subjectum, quod vocant, per prolepsin pro objecto sententiae primariae positum sit.

Fat. § 4: an mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum *futurum sit*.

Sic codd., Baiter., Mueller. Klotzius cum Madvigio: futurum *est*. Postea tamen Madvigius suam sententiam mutavit. (Cfr. Finn. ed. III pag. 740).

Tusc. I § 91: itaque non deterret sapientem mors quominus rei publicae suisque consulat, ut posteritatem ipsam, cuius sensum *habiturus* non *sit*, ad se putet pertinere. Qua re licet etiam mortalem esse animam judicantem aeterna moliri, non gloriae cupiditate, quam *sensurus* non *sit*.

Ibdm. § 96: quam illud iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo *futura sit*.

Finn. III § 64: certe verum est etiam iis, qui aliquando *futuri sint*, esse propter ipsos consulendum.

Off. II § 55: prodigi pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino *sint relicturi*.

Att. VIII, 3, 2: considerandum est, sitne viri fortis et boni civis esse in ea urbe, in qua, quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, † non *futurus* subeundumque periculum sit cum aliquo † fore dedecore, si quando Pompeius rem publicam recuperarit.

Sic Wesenb. Baiterus: in qua *nomen* futurus, subeundumque periculum sit, cum aliquo fore dedecore, si quando etc.

Nomen futurus Jac. Gronovius.

Lectio, quam Baiterus recepit, mihi non admodum placet, propterea quod post »nomen futurus» nimis leve et languidum videtur id quod sequitur: periculum subeundum sit, *cum aliquo fore dedecore*. Fortasse legendum: in qua non sine aliquo dedecore futurus, subeundumque periculum sit, si . . . .

Facile enim potuit illud »cum aliquo dedecore» in margine ut glossa ad »non sine aliquo dedecore» positum inde in contextum irrepsisse, quod quum factum esset, verba: »sine aliquo dedecore» deleta sunt et »fore» additum.

Att. VIII, 14, 2: quam triduo *sciturus sis*.

Ep. ad Brut. I, 4, 4: *futura sit*.

Fam. IV, 7, 5: *futura sit;* VI, 4, 4: *futurus sit;* VI, 10, 3: sit *futurum;* XV, 11, 1: *facturus sim*. Ep. ad Qu. fr. I, 1, 10: *habituri sint*. Herenn. IV, 33: deinde subjicimus id, quod oportet dici [aut non oportet], quod aut nobis adjumento *futurum sit* aut illis *obfuturum* e contrario. Sic Kayser. Klotz: quod oportet dici aut non oportet aut nobis adjumento *futurum est* aut etc.

Sull. § 88: *sit traditurus.* De Domo Sua Or. § 45: *sit futurum.* Muren. § 85: *impedituri sint*(?) Locus mutilus.

Imperfectum conj. fut. periphr. in sententia relativa nulli subjecta condicioni.

Ut conj. *praes.* etiam *imperf.* conj. fut. periphr. variis significationibus usurpatur, quae ad totidem genera referri posse videntur.

1) De eo, quod quis in animo habebat facere.

Att. XI, 10, 1: volumen sibi ostendisse orationis (sc. Qu. filium P. Terentius narrabat), quam apud Caesarem contra me *esset habiturus.*

Muren. § 50: minime timidum et valde calamitosum esse oportere eum (sc. dicebat Catilina), qui *esset futurus* dux et signifer calamitosorum.

De Orat. II § 71: praeclare mihi videris posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator *esset futurus.*

Relativam quoque sententiam ad orationem obliquam pertinere, conjunctivo modo et imperfecto tempore notatum. Extra enim pendentem orationem posita sine dubio haec sententia relativa, utpote quae universalem notionis descriptionem contineat, hoc modo sese haberet: eum, qui orator *est futurus.* Nunc vero, quum haec quoque sententia pendentis loco posita sit, eadem est ei temporis et modi ratio, quae sententiae interrogativae, quae nimirum propterea tempore imperfecto: *oporteret* utitur, quod ex infinitivo praeterito: *posuisse* pendet, quamquam et haec quidem sententia omne tempus complectitur ideoque nos in vertendo praesenti utimur tempore.

Brut. § 302: attulerat (sc. Hortensius) minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus *dicturus esset,* et collectiones eorum, quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset.

»Eorum quae» conjectura est Orellii, a Klotzio, Piderit, aliis recepta. Codicum lectio: *memor et quae,* quam retinuit Kayserus.

Piderit adnotavit, »eorum quae» sine dubio esse legendum atque plane respondere membro priori: *partitiones, quibus . . . .,* unde apparet, eum sententiam: *quibus de rebus esset dicturus* pro sententia relativa habere atque proprie in sententia primaria esse audiendum: *earum rerum.*

Quae autem causa conjunctivi ponendi fuerit, difficile sane dictu sit. Equidem nullam aliam video explicandi rationem quam eam, qua statuitur, conjunctivum hic esse positum ad rem iteratam significandam. Qui conjunctivi usus quum magis abhorreat a Ciceronis scribendi genere, quaeritur, num haec difficultas ullo modo evitari possit. Ac nescio an res simplicissime absolvatur, si codicum lectionem »memor et» retinemus.

Tum nimirum conjunctivus post »memor» in quaestione indirecta legitur, atque ad similitudinem plane efficiendam etiam prior conjunctivus: *dicturus esset* eodem modo explicandus est. Vocabulum enim, quod est *partitio,* quam significationem h. l. habeat, si quaeremus, inveniemus idem significare atque *divisio* in Herenn. I § 4: *divisio est, per quam exponimus, quibus de rebus simus acturi;* atque constructio, quam vocant, huius substantivi verbalis, qua cum quaestione indirecta conjungitur, confirmatur atque illustratur altero exemplo ex eodem libello sumpto, IV § 52: inter hanc divisionem et illam hoc interest: illa dividit per enumerationem aut per expositionem, quibus de rebus per totam orationem disputatio futura sit. Cfr. De Orat. III § 203: propositioque, quid sis dicturus.

2) Imperfectum conj. fut. periphr. de eo, quod de futuro ita pronuntiatur, ut ad certam aliquam rationem referatur.

In munere et officio alicuius posita est ratio actionis futurae

Leg. Agr. II § 19: nemo mutavit, quin ei, qui populo agros *essent adsignaturi*, ante a populo acciperent beneficium quam darent.

Qui essent adsignaturi ɔ: quorum officium esset, ut adsignarent.

In indole ac natura alicuius latet ratio

Sex. Rosc. Am. § 52: domum suam istum non fere quisquam vocabat. Nec mirum, qui neque in urbe viveret neque *revocaturus esset.*

Cfr. § 39: de luxuria purgavit Erucius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo interfuisse. Nihil autem umquam debuit.

De eo, quod futurum esse ex rebus quibusdam concludi posset, positum est impf. conj. fut. periphr.

Mil. § 51: cur eo in loco non subsedit, quo ille noctu *venturus esset.* ɔ: quo illum noctu venturum esse suspicari liceret sc. propter distantiam huius loci (prope urbem siti) ab illo loco (= Aricia), unde Clodium profectum esse ponitur scivisse Milonem.

Ep. ad Brut. I, 15, 10: nullum bellum civile fuit omnium, quae memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma *esset futura* rei publicae.

ɔ: in quo bello non sperare liceret aliquam formam esse futuram sc. propter mores et studia eorum, qui inter se bellum gerebant.

De eo, quod in voluntate et consilio alicuius positum est sive de eo, quod ad aliquid destinatum est, usurpatum est impf. conj. fut. periphr.

Tim. de universo 12: sic se res habebat, ut praestantius genus esset eorum (sc. animorum), qui *essent futuri* viri.

ɔ: qui ita, ea lege essent generati, ut viri fierent.

Att. VII, 17, 2: in quo accusavi mecum ipse Pompeium, qui tantas res atque eas, quae in omnium manus *venturae essent,* Sestio nostro scribendas dederit.

Cfr. verba proxime antecedentia: Scriptae enim et datae (sc. hae litterae Pompeii) ita sunt, ut proponerentur in publico.

In voluntate et dispositione alicuius posita est ratio

Att XIII, 52, 1: villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi *coenaturus* ipse Caesar *esset,* vacaret.

ɔ: ubi, ut coenaret ipse Caesar, a Philippo hospite esset curatum. Hoppe, zu den Fragmenten etc. pag. 25: sollte, konnte, quarum interpretationum tantummodo priorem loci sententiae convenire apparet. Contra si potentialis vis in sententia relativa inesset, exspectares pro: *coenaturus esset coenaret.*

3) Ad copiam vel facultatem alicuius rei faciendae significandam usurpatus esse videtur conj. impf. fut. periphr.

Fam. IV, 5, 3 (Servius): quid autem fuit, quod illam (Tulliam) hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? An ut ea liberos ex sese pareret, quos quum florentes videret, laetaretur? Qui rem a parente traditam tenere possent, honores ordinatim *petituri essent,* in republica libertate sua *usuri?*

Ad *usuri* nimirum *essent* auditur, neque ulla opus est mutatione, ut *usi* pro *usuri* (Hofmann). Conjunctivus sententiarum relativarum huius exempli potentialis praeteriti, quem vocant, esse videtur.

4) Imperf. conj. fut. periphr. *objectiva* futuri temporis significatione praeditum.

Div. II § 19: dicebas omnia, quae fierent *futurave essent,* fato contineri.

Sententia relativa universalem vim habet; imperf. conj. positum est propter leges consecutionis temporum in enuntiationibus secundariis conjunctivo modo utentibus. Indicativo modo si uteretur sententia relativa, hoc modo exprimeretur: quae fiunt futurave sunt.

Praeteritum pro praesenti etiam tribus aliis locis legitur:

Att. VI, 8, 5: Sat multa, qui et properarem et ei litteras darem, qui aut mecum aut paullo antè *venturus esset.*

Quae imperfecta in hoc exemplo inveniuntur, ea duplicem admittunt explicandi rationem. Aut enim ad verba: *sat multa* perfectum praesens: *scripsi* audire licet aut plusquamperf. *scripseram.* Perf. praes. imperf. vel plusquamperf. conjunctivi saepenumero, maxime apud Ciceronem sequi, satis notum est. Contra si *scripseram* audiatur, hic habemus ex. illius imperf. pro praesenti, quod orationis epistolaris proprium est.

Alter locus is est, in quo praeteritum pro praesenti positum sit et secundum illum epistolarum proprium temporum usum et propter leges consecutionis temporum. Est

Fam. VI, 21, 1: quotidie commemorabam (= commemoro) solos nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa ipsa victoria *futura esset* acerbissima.

Tertium ex. conj. imperf. fut. periphr. perfectum praes. sententiae primariae sequentis legitur

Att. XVI, 16 A 6: mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas suavissimique mores a te *essent impetraturi.*

Imperf. conj. simplex et imperf. conj. fut. periphr. inter se copulata sunt

Fam. X, 5, 2: declaratio animi tui, quem haberes de re publica quemque *habiturus esses,* mihi erat jucundissima.

Hoppe, der Conjunctiv etc. pag. 4, accipit sententiam: *quem — habiturus esses* quaestionem indirectam, cuius objectum, quod vocant, per prolepsin in sententia primaria ut genitivus objectivus positum sit. Quod haud scio an refellatur iis verbis, quae proxime antecedunt: itaque commemoratio tua paternae necessitudinis benevolentiaeque *eius,* quam erga me a pueritia contulisses, incredibilem mihi laetitiam attulerat.

Conjunctivo modo utitur sent. relativa ad orationem obliquam denotandam.

Oblique dicitur id, quod continet sent. relativa, etiam

Att. IX, 7 B 2 (Balbus): mihi concessit (Caesar), ne in iis castris essem, quae contra Lentulum aut Pompeium *futura essent.*

Ex iis, quae proxime antecedunt, perspicere possis, significationem verborum: *quae futura essent* non esse eam, qua pro certo affirmetur castra contra Pompeium esse futura. Dicit enim Balbus, huius epistolae scriptor, in paragrapho I: ab Caesare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi, ex † quibus (quo tu?) perspicere poteris *quam cupiat* concordiam suam et Pompeii reconciliare. Quae quum ita sint, in *conjunctivi* forma potentialem vim inesse credo.

Reliqua ex., in quibus impf. conj. fut. periphr. objectivam futuri temporis vim habet, haec sunt:

Fat. § 18: Sic si diceretur »Morietur etc.», vere diceretur. Id enim fore diceretur, quod *esset futurum:* futurum autem fuisse ex eo, quia factum est, intelligi debet.

Att. XV, 11, 1: dicebam ea, quae tibi profecto in mentem veniunt, cur non *esset* tuto *futurus.*

Paulo supra: tuto non *eris.*

Ibdm. 12, 1: noster vero in Asiam — statim autem se iturum, simul ac ludorum apparatum iis, qui *curaturi essent,* tradidisset.

Ut in hoc ex. relativa sententia enuntiatio orationis obliquae secundaria est, sic ad orationem obliquam pertinet relat. sent. etiam his duobus locis:

Catil. I § 7: qui dies *futurus esset* a. d. VI. Kal. Nov.

Fam. VIII, 8, 5: ex Kal. Martiis, quae in suo magistratu *futurae essent.*

Postremum afferam

Octav. § 6: at te fata patriae Paridem futurum praedicebant, qui *vastares* urbem incendio, senatum in castris *habiturus esses.*

Hic impf. conj. simplex et impf. conj. fut. periphr. eadem fere vice fungi videntur, sive potius *habiturus esses* pro *haberes* minus recte positum est, quum sententia relativa ad »futurum» relata ad idem tempus futurum atque infinitivus *futurum,* non ulterius tempus futurum spectet.

Perfectum conj. fut. periphr. in sententia relativa nulli subjecta condicioni.

Div. I § 125: quod quum ita sit, nihil est factum, quod non *futurum fuerit,* eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat.

In hoc ex. significat »futurum fuerit», id quod ex sermonis perpetuitate videre licet: fatum fuerit fieri.

Aliud ex. attulerunt Draeger, Hist. Synt. I § 140, Hoppe, zu den Fragm. etc. pag. 25:

Fat. § 27: potest igitur quidquam factum esse, quod non verum *fuerit futurum* esse?

Dr. vertit: kann wohl etwas geschehen sein, dessen Eintreten in die Wirklichkeit nicht vorher bestimmt war?

Muellerus in adnot. crit. ex conjectura cuiusdam suspicatur »esse» delendum, quamquam in contextu nihil mutavit.

Atque apparet Draegeri explicandi rationem nullo modo defendi posse nisi vocabulo *esse* deleto. Sed ne sic quidem commendari potest. Nam illam significationem *definiti* ab hoc loco alienam esse, satis declarat verborum perpetuitas, quae postulet, ut verba ascripta hoc modo explicentur: om hvilket det icke (en gång) varit sannt, att det vore förestående. Ad constructionem cfr. Div. II § 19: nisi quod ab omni aeternitate *certum fuerit esse futurum* rato tempore. Fortasse tamen infinitivus *esse* delendus est. Tum videtur *futurum* substantivi vice fungi. Cfr. ea, quae proxime sequuntur: nam, ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit instantia, sic *futura,* quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea *vera* dicemus.

II. Conj. praes et impf. fut. periphr. in sententiis relativis leguntur, quae condicioni alicui subjectae sunt.

Conj. *praes.* fut. periphr.

Conj. praes. fut. periphr. in huiusmodi sententiis relativis apodosin efficit periodi hypotheticae, cuius protasis aut enuntiatione secundaria aut constructione illa, quam ablat. absolut. vocant, expressa est aut denique in vocabulo aliquo latet. Hae hoc modo expressae periodi hypothetici aut ad prius illud genus periodorum hypotheticarum referri possunt, quarum indicativus modus proprius est, aut ad alterum illud genus, quod coujunctivo praesentis vel perfecti utitur. Relativa sententia omnibus locis ad suam sententiam primariam relata causalem vel consecutivam vim habet.

Ad prius illud genus periodorum hypoth., quod brevitati inserviendi causa genus indicativum appellabimus, haec ex. referenda esse videntur:

Or. Phil. XII § 16: in hac ego legatione sim aut ad id consilium admiscear, in quo ne si dissensero quidem a ceteris, *sciturus* populus Romanus *sit?*

Ibdm § 8: quis est enim qui ad bellum inflammato animo *futurus sit* spe pacis oblata?

Or. Phil. XIII § 41: o praeclarum lucrum, quo te victore beata mors eorum *futura sit,* qui ex vita excesserint sine tormentis.

Att. XV, 13, 7: quae (oratio) non *sit* foras *proditura* nisi re publica recuperata.

In locis allatis conj. praes. fut. periphr. objectivam futuri temporis vim habet atque ad futurum simplex vel indicat. praes. fut. periphr. in sententia primaria respondet.

Ad alterum illud genus periodorum hypotheticarum vel genus potentiale haec referri posse videntur exempla:

Finn. II § 59: Si scieris aspidem latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam adsidere, cuius mors tibi emolumentum *futura sit,* improbe feceris, nisi monueris, ne adsidat.

Protasis in vocabulo *mors* latet. ɔ: qui si moriatur.

Off. III § 50: de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui *celaturus* Rhodios non *sit,* si id turpe judicet, sed dubitet an turpe non sit.

Att. IV, 17, 1: neque enim sunt eae epistolae nostrae, quae si perlatae non sint, nihil ea res nos *offensura sit.*

Rosc. Am. § 120: necesse est sciant aliquid, quod si dixerint, perniciosum vobis *futurum sit.*

In his ex. conj. praes. fut. periphr. eandem hypothetico-potentialem vim habere videtur, quam in apodosi, quae sententia primaria est, conjunctivo praesentis denotatur. Causam huius mutationis in eo positam esse credo, quod, quum sententia relativa per se ipsa conjunctivum modum postularet, obscuraretur haec potentialis vis, si conjunctivus praesentis immutatus restaret. Quod verum esse haud scio an jam ex eo comprobetur, quod apud Ciceronem quidem nullum exemplum huius conjunctivi praes. fut. periphr. usus in apodosi, quae sententia primaria est, invenire licet. Quod enim attulit ex. huius rei Kühner (Ausf. Lat. Gr. § 214, 1), id decurtata et mutilata forma est allatum. Est illud ex ep. ad Att. IV, 17, 1 desumptum exemplum, quod jam ascripsimus inter ex. conj. praes. fut. periphr. in *sententia relativa,* quae apodosin efficiat sumptionis rei possibilis illius quidem sed incertae. Apud Kühnerum illud ex. hac forma indutum est: litterae si perlatae non sint, nihil ea res nos offensura sit.

Conj. *impf.* fut. periphr.

Quae exempla huc pertinent, ea praeter unum omnia referenda sunt ad tertium illud periodorum hypotheticarum genus, in quibus aliquid sumatur, quod rei veritati contrarium aut praesenti tempore sit (conj. impf.) aut praeterito tempore esset (conj. plusquampf.). Brevitatis causa hoc genus periodorum hypothet. genus condicionale vel irreale atque conj. imperf. in apodosi condicionalem I, conj. plusquamperfecti condicionalem II appellabimus. Protasis aut sententia secundaria vel participio expressa est aut tantummodo cogitatione est supplenda. Causalem vel consecutivam vim habet sententia relativa ad suam sententiam primariam relata.

Exempla sunt haec:

N. D. II § 141: architecti avertunt ab oculis dominorum ea, quae profluentia necessario taetri *essent* aliquid *habitura.*

In *profluentia* nimirum inest protasis: si profluerent; *essent habitura* autem haud scio an pro condicionali I ita positum sit, ut suam propriam *necessitatis* vim retineat.

Pro condicionali I fortasse habendum etiam illud imperf. conj. fut. periphr., quod legitur

N. D. I § 38: quid absurdius quam homines jam morte deletos reponere in deos, quorum omnis cultus *esset futurus* in luctu.

Protasin fere hanc audire licet: si essent homines mortui. *Quorum omnis cultus esset futurus in luctu* ɔ: quorum omnem cultum esse in luctu *oporteret*.

In reliquis duobus locis huc pertinentibus conj. impf. fut. periphr. pro condicionali II est accipiendus. Qui usus inde explicandus est, quod jam in apodosi, quae sententia primaria est, impf. *ind.* fut. periphr. pro condicionali II usurpatur. In apodosi igitur, quae sententia secundaria est, quae conjunctivum modum postulet, conjunctivus ejusdem temporis eadem vi ponitur.

Legitur autem conj. imperf. fut. periphr. pro condicionali II usurpatus:

Mil. § 84: ea vis igitur (divina) illam perniciem (Clodium) sustulit, cui primum mentem injecit, ut vi irritare fortissimum virum auderet vincereturque ab eo, quem si vicisset, *habiturus esset* impunitatem sempiternam.

Relativum pronomen: *quem* ut pronomen tantum ad protasin: *si vicisset* pro demonstrativo positum pertinere, satis apparet. Neque tamen minus elucet, hoc pronomen etiam conjunctionis consecutivae vice fungi, utpote quod apodosin: *habiturus esset impunitatem sempiternam* pro sententia consecutiva sententiae: *(ut) vinceretur ab eo* subjiciat. Quod quum ita sit, non dubito putare pronomen relativum in causa fuisse, cur *»habiturus esset«* pro *habiturus erat (habuisset, haberet)* scriberetur. Cfr. ep. ad Att. IV, 17, 1, quod ex. jam attulimus. Atque ut illius exempli mutilando falsam praebuit speciem Kühnerus, sic in hoc exemplo laudando perverse egerunt Kühnerus (Ausf. Lat. Gr. § 215, 1) et Lattmann—Müller (Lat. Schulgr. § 179, anm. I). Ita enim referunt verba huius exempli, velut si pronomen relativum ad apodosin nihil pertineat, quum scribunt: *quem si vicisset, habiturus esset impunitatem.*

Off. I § 126: principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quae partes corporis ad naturae necessitatem datae aspectum *essent* deformem *habiturae*, eas contexit atque abdidit.

Protasis ex prioribus verbis est cogitatione supplenda haec: *si in promptu essent positae.*

Postremum afferam unum exemplum, in quo conj. impf. fut. periphr. positus est de eo, qui vere in animo habebat aliquid facere, quod ne fieret aliqua re prohiberetur. Est

Verr. IV § 67: rex clamare coepit, candelabrum, quod in capitolium *missurus esset*, id ab se C. Verrem abstulisse.

Hoc exemplum huc retuli, non quo putarem, sententiam relativam apodosin esse condicionalem, sed quia nos in vertendo conj. plusquamperf. utimur. Noster a latino sermone diversus loquendi usus in eo positus esse videtur, quod nos magis proferimus, rem non esse ad eventum perductam, quum latine dicatur, consilium alicuius aliquid faciendi tempore aliquo praeterito *verum* fuisse. Plane eadem est ratio imperf. ind. fut. periphr. in apodosi sumptionis rei non factae. Illud tantum intercedit discrimen inter hoc exemplum et duo illa ex., quae jam attulimus, impf. conj. fut. periphr. in apodosi hypothetica pro condicionali II positi, quod in hoc exemplo, quum protasis neque verbis expressa sit neque cogitatione sit intelligenda, illa significatio, quae part. fut. propria est, magis eminere atque exstare videtur. Exemplum *ind.* impf. fut. periphr. hoc modo usurpati habes

Att. I, 17, 9: quin *erat dicturus* — ad quem propter diei brevitatem perventum non est — heros ille noster Cato.

Ad genus indicativum hoc tantum pertinet exemplum:

Fam. VI, 21, 1: quotidie commemorabam (= commemoro) solos nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo ipsa victoria *futura esset* acerbissima, quae aut interitum *allatura esset,* si victus esses, aut, si vicisses, servitutem.

Conj. *perf.* fut. periphr. in sententia relativa, quae obnoxia sit condicioni alicui, nullum apud Ciceronem quidem exemplum inveni. Quod enim attulit ex. Hoppe, zu den Frgm. etc. pag. 25: Tusc. I § 48: e quo intelligi potest quam acuti natura sint, qui haec sine doctrina *credituri fuerint;*

id sane huc referendum esset, si modo ita legendum esset. At non est ita legendum. Nam codices optimi habent: *quoniam — credituri fuerunt,* quam lectionem receperunt Klotzius et Muellerus, quum Baiterus amplexus sit alteram et deteriorem lectionem.

Quaestiones indirectae.

I. Quaestiones indirectae, quae nulli obnoxiae sunt condicioni.

A. Conj. praesentis et imperfecti futuri periphrastici *objectiva futuri temporis* vi praediti.

Conj. *praesentis* fut. periphr. hac temporis vi in quaestionibus indirectis legitur, quarum sententiae primariae temporibus principalibus, quae vocantur (praes., perf. praes., fut. I & II) utuntur. Inter utramque sententiam nimirum ea est temporis ratio, ut sententia secundaria tempore sequatur suam sententiam primariam. Observandum tamen est, post tempus *futurum* enuntiationis regentis saepissime en. secundariam per se enuntiari neque ad sententiam primariam referendam esse, ita ut conjunctivus praesentis fut. periphr. pro conjunctivo futuri simplicis vel praesentis indicativi fut. periphr. sit habendus. Contra si conj. periphrasticus, quod ad temporis significationem attinet, referendus sit ad verbum regens sententiae primariae, sequitur, ut, quum hoc tempus *futurum* sit, sententia secundaria ulterius futurum tempus quam sententia primaria proferatur atque huiusmodi conj. praes. fut. periphr. pro conjunctivo non futuri simplicis vel *praesentis* fut. periphr. sed *futuri* conjugationis periphrasticae accipiendus sit.

In exemplis afferendis ita agemus, ut, ubi nihil habeamus, quod adnotemus, tantum ipsa verba et locutiones, a quibus pendent quaestiones indir., atque locos, ubi inveniuntur exempla, citemus.

Incipiamus igitur ab iis quaestionibus indirectis, quae a tempore *praesenti* pendent.

Agitur:	Phil. IV, 12.
Animadverto:	debes animadvertere: Att. VIII, 12 C 1 (Pompeius).
Cerno:	cerno: Fam. V, 12, 2; cerni censent: Div. II § 119.
Certiorem facio:	ut certiorem te faciam (fin.): Att. II, 5, 3.
Certum est:	Div. II § 24; non placet esse certum: ibdm II § 106.
Certum non habeo:	Att. IV, 16, 9.
Cogito:	cogitate: Verr. I § 22; Pro »cogitate« *cogitare* (sc. debetis ex praecedenti »intelligere debetis«) Or. II cum codd. mell., Kayser., Mueller. *Cogitate* codd. det., Or. I., Klotz.

Colligo: ut (fin.) animo colligi possit: Inv. I § 42.
Conjecturam capio: conjecturam capere solent: div. I § 130.
Conjectura adsequor: conjectura adsequi non queo: Verr. II § 165.
Considero: potest considerari: inv. I § 39, consideratur: inv. II § 30; considerate: in Caecil. § 49.
Curae est: Lael. § 43: mihi autem non minori curae est, qualis res publica post mortem meam *futura sit,* quam qualis hodie sit. *Futura sit* Klotzius; *sit* om. codd. optimi et inter edd. Halm., Baiter., Mueller.
Curae sunt: Tusc. Disp. I § 31: omnibus curae sunt et maximae quidem, quae post mortem *futura sint.*
Curo: Att. V, 13, 3.
Declaro: Declarant: div. I § 82 = II § 101; quod declarare possit (consec. sent.): div. II § 29;
Demonstro: Demonstratur: Inv. I § 107.
Denuntio: Denuntiant: Top. § 67.
In disceptationem et controversiam cadere: de orat. II § 113.
Divino: divino: Ep. ad. Qu. fr. II, 2, 3; divinare: Or. Phil. II § 81; Fam. VI, 3, 2.
Dubito: non dubito: Tusc. V, 55; dubitare te non existimo: Fam. XIII, 55, 2; vetat dubitare: Legg. II § 41.
In dubitationem adduco: Fam. III, 5, 3: quod itinerum meorum ratio te non nullam in dubitationem videtur adducere, *visurusne* me *sis* in provincia, ea res sic se habet.
Dubium est: Sest. or. § 113.
Exploratum est: Verr. V § 164; Att. VII, 7, 7; exploratum esse potest: Finn II § 92.
Expositio: ad Herenn. IV § 52.
Exprimo: Exprimatur (conj. potent.): Part. Orat. § 57.
Exspecto: Verr. III § 167: Admiratur et exspectat quidnam Vettius *dicturus sit.* Nihil dicet ex tempore, nihil ex sua voluntate. — Contra legimus conj. praesentis simplicis post hoc idem verbum in Verr. II § 140: exspectas etiam quid hi *judicent.* — Flacc. § 51. De Provinc. Consul. or. § 1. Ep. ad Brutum I, 16, 8.
Exspectationen habeo: Att. VII, 16, 2: nunc has exspectationes habemus duas: unam, quid Caesar *acturus sit,* cum acceperit ea, quae referenda ad illum data sunt L. Caesari, alteram, quid Pompeius agat.
Minus fallit: Frgm. Oeconom. Xenoph. 10.
Fingo: fingunt: finn. V § 53.
Horreo: Att. II, 21, 1. Or. Phil. VII § 8.
Ignoro: ignorant: div. I § 82 = II, 101; or. Phil. VII, 1.
Incertum est: Att. VIII, 20, 2; Fam. XV. 1, 6; Ep. ad Brut. I, 12, 1; Verr. I § 153; Frgm. Hortens. de Philosoph. 83.
Incredibile est: Att. I, 2, 3.
Intelligo: intelligunt: divin. I § 128; intelligitur: C. M. § 81.
Non laboro: Ac. Pr. II § 10; nobis non laborandum est: Verr. II § 76.
Nescio: Fam. III, 6, 5: te ubi *visurus sim,* nescio; VIII, 4, 3 (Caelius); XII, 22, 2; Att II, 21, 5; VIII, 9, 4; X, 4, 6; XIV, 18, 4; ep. ad Qu. fr. III, 3, 3; N. D. III § 2; de Provinc. Consular. or. § 39; nesciat: de orat. II § 316: ad-

	mirari soleo — hominem in primis disertum atque eruditum. Philippum, qui ita solet surgere ad dicendum, ut, quod primum verbum *habiturus sit*, nesciat. ɔ: id verbum, quod primum habebit, ignotum ei ad dicendum surgenti est.
	Cuius Philippi ignorationis causa non in dubitatione posita est neque in oblivione, sed in securitate eius atque negligentia.
Odoror:	Att. XIV, 22, 1.
Opinor:	Att. IX, 7 A (Balbus).
Pendeo animi:	Att. XI, 12, 1.
Percipio:	percipi censet: Div. I § 131.
Perspicio:	perspicio: pro Cluentio § 2; perspicis: Fam. IV, 2, 3; perspici non potest: Leg. Agr. or. I § 10.
Pertimesco:	Sest. or. § 134. Div. I § 36 [1])
Praedico:	praedicunt: div. I § 128; ut (post »concedere«) praedicere possint: div. II § 90.
Praesentio:	praesentit: Frgm. Ep. ad Licin. Calv. 2.
Praesignifico:	Divin. I § 82: aut non censent esse suae majestatis praesignificare hominibus, quae *sint futura*. Sic Klotzius. Baiterus et Muellerus: *sunt* futura. Eadem verba leguntur: Div. II § 101, ubi etiam: quae *sunt* futura scribit Muellerus; Baiterus autem hoc loco: quae *sint* futura. Quod ad codicum lectiones attinet, adnotat Muellerus, priore loco codicum lectionem esse: *sunt* futura, altero autem loco omnium codicum lectionem esse: *sint*. f. Hoppe, der conj. der conj. periphr. in indir. Fragen pag. l, conjunctivum modum utroque loco postulat, propterea quod demonstrativum deest.
Praesto:	nec praestari quidquam potest: fam. IX, 16, 3.
Prospicio:	prospicio: in Caecil. § 42; ut (fin.) prospicere possis: P. Quinct. § 35; prospicite animis: Verr. III § 218;
Provideo:	provident: Finn. I § 33; ibdm. § 47; providere: Muren. or. § 4.
Quaero:	Potest quaeri: Inv. I § 11; quaeri solet: Inv. I § 42; quaeratur (in en. rel. consecut.): de Orat. II § 104; quaeritur: Top. § 50; Part. orat. § 64.
Scio:	Att. VII: 10, 1: de reliquo neque hercule quid agam nec quid *acturus sim* scio.
	Hoc exemplum vel maxime dignum est, quod diligentius consideretur. Primum enim utile est ad docendum non semper nihil interesse, ubi subjectum, quod vocant, formae periphrasticae persona sit mente et voluntate instructa, utrum subjectivam futuri vim, qua consilium et voluntas subjecti indicetur, in hac forma inesse statuas an veram et objectivam temporis futuri notionem.
	Nam apparet h. l. prorsus absurdum esse vertere: quid acturus sim, nescio: quid (nunc) cogitem vel in animo habeam agere, nescio. Quod enim quis in animo habet facere, id nullo modo ei ignotum esse potest.
	Deinde observandum est, quid intercedat discriminis inter: quid *agam* nescio et: quid *acturus sim* nescio. Illud enim duplicem vim habere potest:

[1]) Cfr. pag. 5.

aut: hvad jag gör aut: hvad jag skall, bör (soll) göra, hoc autem significat tantum: hvad jag kommer att göra, was ich thun werde.

Scio Fam. XII, 26, 2; haud scio an: de Orat. I § 61; Lael. § 43; scit: Fam. II, 18, 3; fac ut sciam: fam. IX, 17, 1; Att. II ep. 10; eiusmodi litteras exspecto, ex quibus sciam: Att. V, 12, 2; ut (consec.) sciat: Div. II § 18; scire mihi videor: Fam. IX, 17, 1; scire mihi videor quid *futurum sit: fiet* enim etc.; nec ille scire potest: Fam. IX, 17, 3; scito—scire: Fam. IX, 17, 3; ut (fin.) scire possim: Fam. II, 8, 1; velle se scire (sc. dicere oportet): Inv. II § 134; scire: Div. 1, 82 = II, 101; N. D. III § 14; certum sciri nullo modo potest: Legg. I § 52; scito non sciri: Att. I, 11, 2.

Scribo: velim scribas: Att. V, 14, 3; V, 21, 14; Qu. fr. III, 4.

Sentio: Frgm. libr. incertt. ex orat. 16.

Significo: Significant: Or. pro M. Caelio § 76.

Sum sollicitus: Att. VIII, 6, 2.

Suspicor: Or. Phil. V § 5; ne suspicari quidem possum: fam. III, 6, 5; non possum suspicari: Att. XI, 13, 2.

Timeo: Att. II, 20, 5.

Est totum: Att. V, 20, 7: Sed est totum quid Kal. Martiis *futurum sit.* Codd. vacillant inter *quod* et *quid, futurum est* et *futurum sit.* Wesenberg. suspicatur hic esse legendum: in eo, quid — sit. Bootius quoque »in eo» desiderat, sed »quod futurum est» recepit. Baiterus legit: sed est totum, quod — futurum est. Atque ut in his rebus, quid ipse sentiam, profitear, sine dubio aegre desideratur »in eo»; quod autem attinet ad optionem datam inter: quod futurum est et: quid — sit, non dubito, quin hoc illi praeferam, quoniam per interrogationem obliquam magis indicatur anxius et sollicitus animus Ciceronis.

Vereor: ad Herenn. IV § 49: tametsi vereor quomodo *accepturi sitis*, tamen dicam. Cfr. paullo supra de eadem re: dicimus nos timere, quomodo *accipiant.* Brutus § 22.

Video: video: Att. IX, 5, 3: video, ut se huic dent, ut *daturi sint;* ubi »daturi sint» conj. esse potest quum *daturi sunt* tum *dabunt.*

Att. II, 9, 2; VII, 22, 1; VIII, 14, 2; XI, 7, 3; Fam. VI, 3, 2; non video: in Caecil. § 49; Att. VII, 13 a 2; vides: in Pison. § 94; Fam. I, 7, 9; VII, 4; videt: div. I, 114: quae *sint futura* Baiter, Mueller. Klotz.: *sunt* futura; videmus: pro Murena § 73; nec videmus: Att. II, 20, 3; videtis: Legg. I § 41; non videtis?: Leg. Agrar. or. I § 8; vident: Divin. II § 17; non vident: Att. IX, 10, 2; vide: in Caecil. § 35; Verr. V § 154; or Phil. II § 34; Acad. Prior. II § 96; videre: in Caecil. § 45: te vero, Caecili, quemadmodum *sit elusurus*, quam omni ratione *jactaturus*, videre jam videor: quotiens ille tibi potestatem optionemque *facturus sit,* ut eligas utrum velis — —, utrum dixeris, id contra te futurum.

Klotzii interpungendi rationem si sequimur, haud scio, an necesse sit sententiam a *quotiens* incipientem pro sent. relativa habeamus. *Quotiens* igitur significaret: så ofta som (hvarje gång som). Quam interpretationem quominas probemus, id nimirum obstat, quod conj. praes. fut. periphr. utitur haec enuntiatio. Sententia enim a *quotiens* proficiscens ad verbum senten-

tiae primariae relata: *futurum esse* antecedentiae vim habeat necesse est et eam iterativae antecedentiae.

Quod cum ita sit, nota artis lege desiderares h. l. pro *facturus sit fecerit*, si sent. per *quotiens* ingrediens necessario relativa esset. Sed non est necesse. Nihil enim impedit, quominus hanc quoque sententiam pro sententia interrogativa interpretemur: huru ofta etc. sc. videre jam videor. Atque Halmium et Richterum credo hanc voluisse interpretationem, quum post *videor* semicolon, quod vocant, ponerent et ante *utrum dixeris* colon. Kayserum quoque video interpungendi rationem adhibere, qua interpretatio mea confirmetur, semicolon ante *utrum dixeris* ponentem, Muellerus denique posuit semicolon ante *quotiens* et ante *utrum*. Pet. Consul. § 13.

Perfectum indicat. sequitur conj. praes. fut. periphr. in quaestione indirecta.

Att XII, 40, 1: qualis *futura sit* Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit.

N. D. II § 153: defectiones solis cognitae praedictaeque sunt —, quae, quantae, quando *futurae sint.*

Leg. Agr. or. II § 47.

Perf. conj. ut. conj. potent. sequitur conj. praes. fut. periphr. his duobus locis:

Fam. X, 24, 1 (Plancus): amor tuus — utrum plus dignitatis — an voluptatis — *sit allaturus*, non facile dixerim.

Tusc. Disp. V § 121: in quo quantum caeteris *profuturi simus*, non facile dixerimus.

Futurum simplex sequitur conj. praes. fut. periphr.

Inv. I § 107: quartus (sc. locus misericordiae est), per quem res turpes — proferentur et indignae aetate — — —, honore, beneficiis; quae passi *perpessurive sint.* Codices praebent et »quae passi etc.» et »quas passi». »Quae» praeter Klotzium etiam Kayserum habere video, »quas» autem ed. Orelliana altera. Ab utraque forma credo interrogationem, non relativam sententiam induci, quae quidem interrogatio nimirum ex *proferentur* pendet ita, ut quodammodo pro subjecto huius verbi sive potius formae *proferetur* ex *proferentur* desumptae accipi possit. Tamen est confitendum, relativum sensum ab hoc loco non prorsus abhorrere, si *quas* legamus. Conj. tum est conj. or. obl. Orellius autem comma cum puncto, quod vocant, ante *quas* posito significat, credo, relativam sententiam ab hoc loco se abjudicare.

Postremo commemorandum censeo, Kayserum nonnullos codices sequentem *proferuntur* scripsisse, ea, credo, maxime re commotum, quod in his sedecim locis misericordiae enumerandis in omnibus sententiis relativis ex codicum consensu praesens tempus legitur praeter hanc, de qua agimus, et alteram, ubi futurum scribi codicum consensus jubet.

Att. II, 4, 2: accommodatius nobis erit ad liberam legationem tempus illud, quum et Quintus noster jam, ut speramus, in otio consederit et, iste sacerdos Bonae deae cuiusmodi *futurus sit*, sciemus.

»Sciemus» Wesenberg, auctore Ernest. Codices optimi: *scius*, in quo latere *scierimus* putavit Orell. eumque sequitur Bait. Sed jure mihi videtur Wesenb. signo quaestionis usus esse in hac lectione afferenda. Apertum enim est, nullum hic esse locum futuro exacto huius verbi.

Suam propriam temporis significationem, non ad verbum regens relatam habet conj. praes. fut. periphr.:

Imp. Cn. Pomp. or. § 45: et quisquam dubitabit quid virtute *perfecturus sit*, qui

tantum auctoritate perfecerit, aut quam facile imperio socios *conservaturus sit,* qui ipso nomine defenderit?

Or. Phil. XIII § 45: namque si victi Pompeiani tam insolentes sunt, victores quales *futuri sint* vos potius experiemini.

Contra ad futurum regens, quod ad temporis significationem attinet, referendus est conj. praes. fut. periphr.

Att. X, 18, 1: posthac non scribam ad te, quid *facturus sim,* sed quid fecerim.

Hoc loco apertum est, conjunctivos *facturus sim* et *fecerim* conj. esse indicativorum *facturus ero* et *fecero,* ita ut hic habeamus ex., in quo conj. praes. fut. periphr. non suam propriam temporis vim habeat, sed ad verbum regens sit referendus atque significet aliquod ad hoc futurum relatum ulterius futurum.

Reliqua ex., ubi conj. praes. fut. periphr. sequitur futurum simplex, haec sunt:

Inv. I § 36: facta autem et casus et orationes tribus ex temporibus considerabuntur: quid fecerit aut quid ipsi acciderit aut quid dixerit, et quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat, aut quid *facturus sit,* quid ipsi *casurum sit,* qua *sit usurus* oratione.

Inv. I § 101 (demonstrabimus); Herenn. II § 50 (aperiemus); Att. VII, 17, 4 (intelligentur); XII, 41, 1 (scies); XIII, 4, 2 (id.); XIII, 9, 2 (scribam); XVI, 8, 1 (sciam); Pet. Consul. 34 (conjectura fieri poterit).

Conj. praesentis ut conj. fut. simplicis utitur verbum regens

Qu. fr. I, 3, 8: nihil enim tam timeo quam ne quum intelligant homines, quantum misericordiae nobis tuae preces et tua salus *allatura sit,* oppugnent te vehementius.

Futuro exacto utitur en. regens

Legg. I § 61: idemque (sc. vir sapiens), quum coelum, terras, maria rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quo modo *obitura,* quid in his mortale —, quid divinum — sit, viderit, — —. — quam se ipse noscit.

Sic Klotz. et Baiterus. Pro illo: quo recurrant, quando Muellerus, Eussnero auctore, scribit: quo recursura aliquando. Idem Muellerus adnotat, codd. duo signatos AB *recura quando* habere, sed in *recurrant* correctum. *Recursura, quando* Vahl. De his rebus difficile est quidquam pro certo statuere et quidem duas propter causas: primum enim in *recura* codicum latere potest quum *recursura* tum *recurrant,* deinde plane necessarium h. l. conjunctivum futuri periphr. vix habere licet, quum alias quoque neque id raro, ubi conj. fut. periphr. exspectes, conj. praes. simplicis sit scriptus. Tantum de vocabulo *aliquando* pro *quando* affirmaverim, nullum eius in codicibus inesse vestigium.

Alterum ex. conj. praes. fut. periphr. post fut. exact. legitur Att. XIV, 19, 6 (videro). Tertium est ex. eiusmodi comparatum, ut conj. periphr. suam propriam temporis significationem habeat. Est

Fam. XII, 10, 2: cuius rei tum tempus erit, quum, quid opis rei publicae *laturus* is exercitus *sit* aut quid jam tulerit, notum esse coeperit.

Conj. *imperf.* fut. periphr. objectiva fut. temporis vi praeditus in sententiis interrogativis.

a) Conj. imperf. fut. periphr. suam propriam vim habet atque significat, quid praeterito aliquo tempore *esset* futurum.

b) Conj. impf. fut. periphr. pro conj. praes. fut. periphr. positus est et quidem aut

α) propter leges consecutionis temporum aut

β) in oratione epistolari.

a) Conj. impf. fut. periphr. significat, quid praeterito aliquo tempore esset futurum.

Imperf. ind. sequitur en. interrogativa:

Verr. II § 18 (augurabantur); Flacc. § 33 (scire non poterat); Fam. II, 17, 5 (dubitabam); VIII, 8, 1 Caelius (dubium non erat); divin. I § 90 (dicebat); Att. II, 11, 1 (indicabant); Att. III, 24, 1 (verebar); Verr. II § 127 (exspectabant); Verr. V, 161 (id.); Verr. II § 74 (exspectatio sc. erat).

Imperfecto conj. utitur en. regens his locis:

Inv. II § 139 (intelligeret); Divin. II § 55 (intelligeremus); P. Quinct. § 83 (ignorares); Or. Phil. VI § 3 (experiremur); Fam. IX, 24, 1 (divinarent); divin. I § 2 (praedici posset);

Att. XV, 4, 2: quod te a Bruto rogatum scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum *essem venturus* — — —

Illud *rogatum* addidit Wesenberg. Baiterus scribit: rogari. Maior est discrepantia editionum in forma sententiae interrogativae constituenda. Wesenbergii lectionem jam ascripsimus: quo die in Tusculanum essem venturus, quam lectionem ex codicibus A F et editione Lambiniana (quam ed. lectiones codicis Tornaesiani (Z) prae se ferre vult) sumpsit. Baiterus lectionem Medicei: *in Tusculanum essem futurus* ita recepit, ut pro »Tusculanum« scriberet: Tusculano. Bootius denique lectionem codicis Medicei integram recepit eoque defendit, quod Ciceronem, quum proprie scribere debuisset: *quo die in Tusculanum venturus ibique essem futurus*, orationem dicit contraxisse. Ad hanc quaestionem dijudicandam omnia in eo posita sunt, quamnam putemus intercedere rationem, quod ad dignitatem et auctoritatem attinet, inter codices meliores epistolarum ad Atticum. Nam ipsum illud »in Tusculanum futurus essem« pro »in Tusculano f. e.« satis videtur posse defendi locutionibus, quales sunt: in potestatem esse, in publicum esse, sim. (de quibus cfr. Reisigium in Scholis § 403). De codicum autem auctoritate summa est inter editores dissensio, quum Baiterus, Bootius, alii Mediceum codicem (M.) esse fundamentum putant, quo recensio epistolarum ad Att. sit constituenda, Wesenbergio autem codex Tornaesianus (= Z) Mediceo tam praestare videtur, ut ei primum dignitatis gradum tribuat, postremo demum loco ponat Mediceum.

Conj. impf. ut conj. potent. praet. sequitur conj. impf. fut. periphr. duobus locis:

Verr. II § 18: etenim quis dubitare posset, cum istius in quaestura fugam et furtum recognosceret, — — — qualis iste in quarto actu improbitatis *futurus esset*.

Ibdm. § 70 (quis posset dubitare).

Perfectum indicativi en. regentis sequitur conj. imperf. fut. periphr. his locis:

Fam. IX, 1, 1: ex iis litteris, quas Atticus a te missas mihi legit, quid ageres et ubi esses, cognovi; quando autem te *visuri essemus*, nihil sane ex isdem litteris potui suspicari.

Hoc exemplum eiusmodi est, ut duplicem admittat explicandi rationem, prout perfectum indic. en. primariae pro perf. historico aut perf. praesentis accipimus. Si enim pff.: cognovi, potui (suspicari) pro perfectis historicis accipiuntur, imperfecta conj. suam propriam vim retinent. Contra si, id quod etiam videtur fieri posse, haec perfecta pro perff. praesentis habentur, imperff. conj. enuntiationum interrogativarum pro conj. praesentis posita sunt secundum illam maxime apud Ciceronem usitatam temporis consecutionem, qua perf. praes. cum conj. imperf. pro conj. praesentis conjungitur.

Fam. X, 15, 3 (Plancus): adventus meus quid *profecturus esset*, vidi. *Vidi* est perf. historic. Perf. historico utitur en. regens etiam

Att. XIII, 52, 1: Sane sum commotus, quid *futurum esset* postridie.

Perf. conj. en. regentis sequitur conj. imperf. fut. periphr. his locis:

Fam. VIII, 16, 1 (Caelius) = Att. X, 9 A: nam deos hominesque — testificor, me tibi praedixisse neque temere monuisse, sed postquam Caesarem convenerim sententiamque eius, qualis *futura esset* parta victoria, cognoverim, te certiorem fecisse.

Verba: (postquam) sententiam eius, qualis futura esset –, cognoverim prolepsin continent, de qua vide Hoppe, der Conj. der conjug. periphr. etc. pag. 4.

Alterum exemplum, ubi conj. impf. fut. periphr. sequitur conjunctivum perf., est

Planc. or. § 40: deinde effundas repente, ut ante consessum meorum judicum videam quam potuerim qui *essent futuri* suspicari?

Hoc loco quaeri potest, utrum »potuerim» conjunctivus sit futuri exacti an perf. praesentis. Ad hanc autem quaestionem dijudicandam necessarium est alteram quaestionem solvere, utrum particula, quae est *ut*, conjunctio finalis an consecutiva sit. Conj. finalis si »ut» sit, haec est vis et sententia huius ex.: non oportet te *repente* effundere judices electos eo consilio, ne potuerim suspicari, qui essent judicaturi, quum videam consessum judicum.

Contra si, id quod mihi magis placet, »ut» pro conjunctione consecut. accipiatur, haec oritur sententia: iniquum et acerbum est, te tam repente judices effundere, ut non potuerim suspicari, qui essent judicaturi, quum video l. videam consessum judicum. Prius »potuerim» pro conj. fut. exacti quodammodo accipi potest, ita ut sententia finalis suam obliquam significationem cum sententia ab *antequam* incipienti communicet. Alterum autem »potuerim» pro conj. perf. praes. est accipiendum, atque conj. tum utitur sent. temporalis aut per modi attractionem aut propterea, quod plerumque verbum, quod est *posse,* in sententiis ab *antequam* et *priusquam* incipientibus ut cogitatam tantum rem significans conj. modo positum esse invenitur. (Cfr. Lattm.—Müller § 168, adn. 3). In perfecti autem usu h. l. id est minus usitatum, quod hoc perfectum ad verbum suae sententiae primariae relatum: *videam* non pro »antecedenti iterativo», ut vocabulum, quod Lattm. et Müller usurpant, adhibeamus, accipi potest, quoniam de singulari, non iterata re agitur. Lattm. autem et Müller in sua arte docent, perf. praes. in sent. ab *antequam* vel *priusquam* incipienti et ad tempus praesens sent. primariae relatum tantum pro antecedenti iterativo usurpari. (Cfr. Lattm.—Müller § 167, 2 a et § 168, adn. 2). Credo tamen, hoc exemplum idoneum esse, quo demonstretur, perf. praes. in sententiis, quas jam saepe diximus, ad tempus praes. sent. primariae relatum etiam, quamvis raro, pro »antecedenti singulari», si hoc nomine liceat uti, adhiberi posse. Eadem est ratio conjunctionum *postquam, ut, ubi*, cet., id quod Lattm. et Müller ipsi docent (§ 162, B 2).

A *perfecto infinitivi* pendet impf. conj. fut. periphr.:

Herenn. II § 8 (praemeditatum fuisse); Sex Rosc. § 59 (quaesisse); Divin. I § 64 (dixisse).

A *plusquamperfecto indicativi* pendet conj. impf. fut. periphr.:

Fam. XIII, 1, 1: etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia an potius libenter te Athenis *visurus essem,* — — —, tamen vidisse te mallem. Constiterat: hade blifvit mig klart (Lex. Cavallini sub verbo constandi).

A *plusquamperfecto conjunctivi* regitur conj. impf. fut. periphr.:

Divin. II § 22: quae autem vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis *esset habiturus?*

Cluent. or. § 63: Si incertum fuisset, quisnam exitus illius judicii *futurus esset,* verisimilius tamen esset, eum potius corrupisse (sc. judicium), qui metuisset, ne ipse condemnaretur.

Verbum regens est *infinitivus praes.* a perf. hist. pendens:

Planc. Or. § 66: destiti quid de me *audituri essent* homines cogitare. Fam. VIII, 8, 9 (Caelius).

Inf. praes. ab impf. ind. pendent. sequitur impf. conj. fut. periphr.

Fat. § 33: causis enim efficientibus quamque rem cognitis posse denique sciri quid futurum esset. (sc. censebat Carneades).

Ab *nomine adjectivo* pendet en. interrogativa.

Or. post redit. ad Quir. 85: illi (sc. parentes mei opp. vos, Quirites) mihi fratrem incognitum qualis *futurus esset* dederunt (= perf. hist.).

Vocabulum regens *nomen substant.* est

Lael. § 27: quapropter — mihi videtur — orta amicitia adplicatione magis animi — quam cogitatione, quantum illa res utilitatis *esset habitura*, (= komme att l. vore bestämd att medföra).

Praesenti indicat. utitur en. regens

Fam. VIII, 10, 1 (Caelius): hoc quomodo acciperent homines, quam probabilis necessitas *futura esset*, vereor etiam nunc.

Insignis est primum temporis consecutio, quum imperf. conj. fut. periphr. a praesenti ind. pendere videatur; sed res tantummodo videtur ita se habere. Nam facile auditur ad »vereor etiam nunc» verebar l. veritus sum. (Cfr. Kühner § 181, 2 b). Deinde observandum est, in duabus illis interrogationibus obliquis, quarum utraque ad futurum spectet, non eandem verbi formam esse usurpatam: acciperent — futura esset. Atque verba timendi, quod ad futuri temporis consecutionem attinet, conjungi posse et cum forma periphrastica futuri et cum simplici conjunctivo, satis notum est. In prioribus jam ascripsimus ex. conj. fut. periphr. in enunt. interrogativis. In sequentibus adnotabimus ex. ejusdem conj. futuri in sent. a *ne* proficiscentibus. Hoc autem exemplum id habet proprium, quod docet, etiam simul utrumque conjunctivum adhiberi posse.

Fortasse huc referendum est etiam Ep. ad Qu. fr. III, 1, 24: mirificum embolium cogito in secundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum (sc. Gabinii et Pisonis) *futurus esset*, quorum alter exercitum perdidisset, alter vendidisset.

b) *imperf.* conj. fut. periphr. pro conj. *praes.* fut. periphr.

α) propter leges consecutionis temporum.

Fam. XIII: 26, 4: Scriberem, quam id beneficium bene apud Mescinium *positurus esses*, nisi et te scire confiderem et mihi peterem.

Condicionalem I sequitur conj. impf. fut. periphr. etiam Tusc. Disp. I § 47: quamvis copiose haec diceremus, si res postularet, quam multa, quam varia, quanta spectacula animus in locis coelestibus *esset habiturus*.

Fam. III, 6, 5: ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres aut ubi te *visurus essem*.

Fam. VIII, 5, 2 (Caelius). Fam. IX, 1, 1.[1])

β) impf. pro praesenti propter orationem illam epistolarum propriam, qua saepenumero imperf. pro praesenti in epistolis legitur.

Att. III, 7, 3: de fratre, ubi eum *visuri essemus*, nesciebamus (= ubi eum visuri simus, nescimus).

Ibdm. XV, 9, 2: dubitabam (= dubito), tu has ipsas litteras *essesne* (= sisne) *accepturus*, erat enim incertum (= est enim incertum), *visurusne* te *esset* tabellarius (= visurusne te sit tabellarius.)

---

[1]) Vide pag. 18.

B. Conjunctivi praes., imperf. fut. periphr. eam vim habent, qua consilium et voluntas alicuius aliquid faciendi denotetur.

Conj. *praes.* fut. periphr.

Herenn. I § 4: divisio est, — per quam exponimus, quibus de rebus *simus acturi;* ibdm § 6; ibdm. § 10.

Herenn. III § 13: exponemus, quas res *laudaturi simus* aut *vituperaturi.* Sic Klotz et Kayserus. Sumus pro simus in ed. Orell. II. Draeger, Hist. Synt. §§ 471 et 472, docet, substantivum in eiusmodi relativis sententiis, qualis est exemplum nostrum indicativo modo utens, tantummodo nobis videri esse transferendum atque re vera hunc usum referendum esse ad principalem sententiarum relativarum formam, in qua substantivum, quod correlatum vocant, positum fuerit in utraque sententia, et primaria et secundaria. Relativum enim pronomen quum ex interrogativo ortum vulgo putent, facilis est hic transitus ad intelligendum ex his exempli gratia duabus sententiis: Qui homo hoc fecit? Eum hominem ego novi. Quae quidem conjunctae hanc accipiunt formam: qui homo hoc fecit, eum hominem ego novi. Huius principalis formae apud poëtas comicos nonnulla sunt exempla atque apud ipsum hunc auctorem ad Herennium, quamquam hic ut apud Ciceronem ceterosque classicos scriptores saepissime en. relativa sequitur en. primariam. Cfr. I § 7: Si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus. I § 17: expositio est, quum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breviter et absolute. Ex hac igitur forma principali haec orta videtur forma, qua substantivum, quod correlatum est, sola in sententia relativa ponitur, ita ut proprie substantivum in sententia quoque primaria sit audiendum. Exempla huius ex. indicativo modo utentis prorsus similia duo in hoc Rhetoricorum libello inveniuntur: I § 17: enumeratione utemur, quum dicemus numero, quot de rebus dicturi sumus. I § 27: dedimus operam, ut breviter et dilucide, quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus.

Quod quum ita sit, haud scio, an hic quoque eiusmodi sententia relativa sit cernenda, praesertim quum in Baiteri et Halmii recensione editionis Orellianae nihil de codicum discrepantia sit adscriptum.

De Oratore II § 84; III § 203: propositioque (sc. permultum movet) quid *sis dicturus.*

Orator § 137; Part. Orat. § 97; Divin. in Caecil. § 52: quid ad haec dici potest? non enim quaero, quid tu *dicturus sis:* video mihi non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet; qui si te recte monere volet suadebit tibi ut hinc discedas neque mihi verbum ullum respondeas. Quid enim dices? — Quid tu dicturus sis: hvad du sjelf skall säga i. e. är betänkt på att säga, ämnar säga, neque inde est colligendum, conjunctivum »dicturus sis» conj. esse indicativi fut. simplicis: dices, non indicativi fut. periphrastici: dicturus es, quod sequitur paulo infra quaestio directa: quid enim dices. Haec enim quaestio est eius, qui miratur et dubitat, num quid dicere possit Caecilius, quae significatio nimirum a quaestione indirecta: quid tu dicturus sis aliena est.

Verr. II § 149: vide et perspice qua defensione *sis usurus* ɔ: huru beskaffadt det försvar är, som du ämnar använda.

Leg. Agr. Or. II § 71. Att. I, 6, 2; II, 7, 2; V, 4, 3; V, 18, 4; VII, 13 b 3; VII, 22, 2; VIII, 12, 6; VIII, 14, 3; IX, 1, 2: quaero autem (sc. ubi Lentulus sit, ubi Domitius), quo facilius scire possim, quid *acturi sint, iturine* ad Pompeium et, si sunt, qua quandove *ituri sint.* IX, 7 A 2 (Balbus); ep. ad Brut. I, 13, 2; Fam. V, 12, 10; VII, 16, 3: ecquid in Italiam *venturi sitis* hac hieme, fac plane sciam. VIII, 13, 2 (Caelius): quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, *quum cognoscam;* quam lectionem recepit Baiterus. Quae codicis Me-

dicei lectio non ideo a Wesenbergio rejecta esse potest, quod verbum: scribam omissum est, quoniam facile audire licet, sed propterea, quod cognoscam, non cognoro scriptum est. Futurum enim exactum ut ad futurum aliquod simplex sententiae primariae relatum nimirum necessarium est. Cur autem Wesenbergius putaverit verbum, quod est scribam, esse addendum, si quaerimus, in promptu esse videtur responsum. Credo enim eum motum fuisse forma verbi cod. Med.: cognoscam, in qua latere potest: cognoro scribam. IX, 2, 5; XI, 9, 1 (Brutus); XII, 18, 1. Finn. II § 74.

Aliquem velle, cupere aliquid significat conj. praes. fut. periphr.:

Off. I § 118: quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi *sit ingressurus*, datum est ɔ: quam quisque viam vivendi ingredi velit.

Att. II, 8, 2: cognosce itinera nostra, ut statuas, ubi nos *visurus sis*.

XII, 29, 2: cum iis communices, quanto opere et quare velim hortos, sed id ita posse, si expediatur illud Faberianum; *sintne* igitur auctores *futuri*.

Verbum quoddam rogandi regens ex *communices* intelligendum est ɔ: fråga dem alltså, om de vilja lägga sig ut för mig, blifva mina förespråkare.

Imperf. conj. fut. periphr.

Sex Rosc. § 33: quum ab eo quaereretur, quid tandem *accusaturus esset* eum ɔ: för hvad han då ärnade anklaga den, vel: hvarföre då i. e. hur det komme sig, att han ämnade anklaga. Vocabulum enim, quod est *quid*, aut pro objecto verbi *accusandi* (Cfr. Kühner § 72 adn. 3) aut pro accusativo absoluto, quem vocant, accipi potest. Quarum interpretationum tamen eam, quam posteriore loco posui, magis ad hunc locum aptam puto. Ad rationem enim agendi accusatorum Roscii illustrandam mentionem facit Cicero C. Fimbriae, quem narrat Scaevolae, cum a se volneratum vivere posse comperisset, diem dixisse atque, »cum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem — ne laudare quidem quisquam satis commode posset, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset». Deinde addit: estne hoc illi dicto atque facto Fimbriano simillimum? Accusatis Sex. Roscium. *Quid ita?* Quia de manibus vestris effugit.

Leg. Agr. II § 79. Or. Phil. VIII § 23. Brut. § 302.[1])

Reliqua ex. conj. impf. fut. periphr. hac subjectiva futuri vi praediti eiusmodi sunt, ut conj. imperf. pro conj. praesentis positus sit et vero aut secundum leges consecutionis temporum aut propter epistolarum scribendi genus.

Impf. pro praesenti positum est post condicionalem primum in Att. II, 22, 1: quam vellem Romae mansisses! — Nam Pulchellum nostrum facillime teneremus, aut certe, *quid esset facturus*, scire possemus.

Impf. pro praes. post perf. log. l. historicum:

Att. X, 4, 11: sunt autem, quae praeterii (ɔ: quae a Curione nondum quaesivi): interregnum *esset exspectaturus* (= om han (Caesar) tänkte l. *tänker* afvakta).

Impf. conj. conjug. periphr. post perf. logicum l. hist.: *praeterii* continet rem futuram, quae ad id ipsum quoque tempus praesens referri potest, quum Cicero hanc epistolam scripsit.

Imperf. conj. fut. periphr. duobus locis legitur, ubi a nobis praesenti reddatur atque ad id genus praeteritorum pertineat, quae epistolarum orationis propria sunt.

Ex. sunt haec:

Fam. XII, 4, 2: sed tu quid ageres, quid *acturus*, ubi denique esses, nesciebam (= nescio).

---

[1]) Vide pag. 6.

Att. XII, 41, 1: scire volebam (= volo), quando *rediturus esses.*

Postremo afferam nonnulla exempla, in quibus difficilius est pro certo statuere, utrum objectiva illa futuri temporis vis an haec subjectiva, de qua nunc egimus, in forma periphrastica insit. Jam in ex. novissimo incertum est, utrum »rediturus esses» significet: du skall = ämnar, tänker återvända an: du skall = kommer att återvända.

Ex. sunt haec:

Verr. III § 85: sed quid ego ex te quaero quid *defensurus sis* (= qua defensione sis usurus). Quibus verbis quum Cicero quaestionem suam: Utrum tibi sumes ad defensionem? interrumpat et corrigat, videtur objectiva temporis significatio magis hic esse statuenda.

Ibdm. V § 2; V § 22; Balb. or. § 52; Finn. III § 14; Tusc. Disp. V § 42; Att. II, 11, 1: ac, die quo Roma *sis exiturus*, cura ut sciam. Sic Wesenb. cum Mediceo; *diem quo* Baiter. De hac prolepsi confer Hoppe, der Conjunct. etc. pg. 4. Att. V, 5, 2; V, 9, 2; V, 10, 5; VII, 7, 5; XII, 24, 1; XII, 37, 2; XII, 40, 5. Fam. VI, 2, 3; VII, 9, 1; VII, 17, 3; IX, 6, 2; X, 8, 4.

C. In participio futuri inest potentialis vis i. e. ea significatio, qua potestas alicuius aliquid faciendi denotetur.

Att. III, 7, 3: (de fratre ubi eum visuri essemus nesciebamus), quem quidem ego nec quo modo *visurus* nec ubi *dimissurus sim* scio.

Ad »ubi» crucem apposuit Wesenberg et suspicatur hic esse legendum: nec *ut* vel cum Orellio: nec *uti.* »Ubi» codicum retinuerunt Baiterus et Bootius. Equidem credo, non multum interesse, utrum *ubi* an *uti* legas, quod ad ipsam sententiam huius loci attinet. Quam quidem sententiam Bootius collatis ep. 9, 1 huius libri et ad Quintum fr. I, 3, 4 hanc esse dicit: »Metuebat Cicero, ne animo ipse abjecto a fratre adspiceretur; tum ne Quintus a se digredi non posset». Quam quidem interpretationem equidem non facile probaverim. Primum quaerendum est, quam significationem tribuas oporteat formis illis periphrasticis: *visurus, dimissurus sim,* utrum mera temporis futuri vis in his conjunctivis insit, an accedat alia quaedam significatio. Si temporis vis sola his conjunctivis adhaereret, per has interrogationes obliquas tantum de modo et ratione congressus digressusque loco quaestio institueretur, prorsus ut in proxime antecedenti sententia Cicero dicit se nescire, ubi Quintum fratrem visurus sit i. e. tantummodo de loco congressionis dubitare neque de ipso congressu incertum esse. Quae interpretandi ratio ab his, de quibus agitur, interrogationibus obliquis longe abhorret. Qui enim fieri posset, ut haec loci digressionis ignorantia tantum Ciceroni afferret dolorem, ut de hac re vere diceret, quod dicit: id est maximum et miserrimum mearum omnium miseriarum.

Longe alia opus est explicatione. Et haud scio, an in verum sensum verborum incidamus, si potentialem quandam vim tribuamus conjunctivis *visurus* et *dimissurus sim.* Vertas igitur velim: hvad min bror beträffar, vet jag sannerligen icke, hvarken huru jag *skall kunna se* honom, eller hvarest jag *skall kunna släppa* honom, skilja mig från honom. Qui ita vertat, ei necessario cogitandum est de metu aliquo Ciceronis et congressus et digressus. Metuit enim quum congressionem, ne, ut dicit ep. 9, 1, fratrem amantissimum sui, mollissimo animo tanto in maerore *adspicere non possit,* tum digressionem, ne illam, ut est ad Qu. I, 3, 4, ferre nequeat.

Quae vero enarrationes Bootii sunt, et eae quidem in locis Ciceronianis allatis commendationem inveniunt (complures enim ibi afferuntur causae, cur fratrem videre noluerit), quamquam, credo, ad hunc, de quo agitur, locum non quadrant, quo sine dubio *Ciceronis ipsius,* non fratris animus quemadmodum adfectus sit ad congressum digressumque indicetur.

Sequitur nunc, ut quaeramus, quomodo has quaestiones obliquas in directas mutatas exprimi oporteat. Atque quum hae quaestiones in directas mutatae conjunctivum modum desiderent ad dubitationis vim significandam, videtur futurum periphrasticum retineri non posse. Nam conjunctivum praes. conjugat. periphr. in quaestionibus directis nusquam inveni. Respondent igitur nostrae quaestiones his quaestionibus directis: (fratrem vero) quomodo videam, ubi dimittam? Observandum tamen est, in conjunctivis *visurus*, *dimissurus sim* duplicem potentialem vim inesse quum in conjunctivo verbi substantivi tum in ipsis participiis futuri. Conjunctivus enim potentialis est et participium futuri habet eam vim, qua facultatem, potestatem esse alicui aliquid faciendi indicetur.

Eadem natura qua exemplum jam tractatum haec quoque exempla esse videntur:

In Caecil. Divin. § 33: ergo id omnino Verres in judicio suo non audiet, quod quum faciebat, quemadmodum *defensurus esset* non reperiebat. Quaestio directa: quomodo hoc defendam (= defendere possim)?

Verr. III § 118: neque hoc parvum crimen quemadmodum *defensurus sit* homo quisquam umquam excogitabit.

Quaestio directa: quomodo hoc crimen defendat? ɔ: huru vill han afvärja denna beskyllning.

Or. Phil. II § 95: qua ex syngrapha quid *acturus sis*, meditere censeo ɔ: emellertid råder jag dig att noga öfverväga, hvad du vill (skall kunna) uträtta med denna vexel. Quaestio directa: quid agas?

Sensus totius loci hic oritur: Cicero dubitat, num quid possit Antonius agere ex hac syngrapha, atque causam, cur id dubitet, iis, quae statim sequuntur, affert: rex enim ipse etc.

Att. VII, 13 A 1: is (Caesar) valet exercitu — — —; quid autem *sit acturus* aut quo modo, nescio, sine senatu, sine magistratibus: ne simulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς.

Hoc loco videtur alia *agendi* significatio nobis occurrere: förhandla sc. apud populum.

D. Participium fut. cum verbo substantivo conjunctum de eo adhibetur, quod ut fiat certa aliqua ratione constitutum est.

De Oratore II § 355: itaque soli, qui memoria vigent, sciunt quid et quatenus et quomodo *dicturi sint*, quid responderint, quid supersit.

Ex iis, quae proxime antecedunt, intelligere licet, h. l. rationem positam esse in iis, quae vel in causa accipienda didicerunt, vel audiverunt eum dicere, cui respondendum est, vel denique ipsi excogitarunt.

Orator § 68: sejunctus igitur orator a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poëtarum explicandus est nobis qualis *futurus sit*.

His verbis transit Cicero ad ipsum illud tractandum, quod sibi proposuit. Ea, quae antecedunt, magis ad rem definiendam atque finibus suis circumscribendam pertinent. In participio: *sejunctus* duplicem vim cernere licet, prout refertur ad *explicandus est* aut ad *futurus sit*. Ad gerundivum enim relatum pt. pf. temporalem vim habet atque pro sententia temporali positum accipi potest: sedan vi sålunda hafva skilt talaren — —, hafva vi att utreda....; ad conj. autem praes. fut. periphr.: *futurus sit* relatum haud scio an causalem vim habeat. Suethice licet hanc duplicem vim pt. pf. hoc modo notare: sedan talaren sålunda blifvit skild från — hafva vi nu att utreda, hurudan han *såsom sådan* bör vara ɔ: qualis propter suum ab philosophis, sophistis, historicis, poëtis diversum munus et officium esse debeat.

Postremo est adnotandum, nonnulla exempla eiusmodi esse, ut dubitari possit, utrum objectiva illa temporis significatio an haec subjectiva, de qua nunc agimus, sit statuenda.

Inv. I § 53: deinde nemo intelligat, quo spectent illae primae inductiones et ad quem *sint* exitum *perventurae*. Si h. l. subjectiva futuri vis in participio fut. insit, nimirum ratio in consilio et voluntate inducentis posita est.

Att. V, 12, 2: eiusmodi litteras (exspecto), ex quibus ego, non quid fiat — sed quid *futurum sit*, sciam.

Ibdm V, 13, 3: Si intelligis, quam meum sit scire et curare, quid in re publica fiat — fiat autem? immo vero etiam quid *futurum sit*, perscribe ad me omnia.

His duobus locis in dubitationem revocare licet, utrum objectiva temporis vis insit in conj. periphrastico ut opposito conj. praesentis: *fiat*, an ea, qua, quid ut fiat exspectetur, indicatur. Quae posterior significatio ex principali et propria significatione est derivanda: quid ut fiat constitutum sit sc. rebus conjunctis, ita ut sit sperandum.

II. Quaestiones indirectae, quae apodosin efficiunt hypotheticam.

In huiusmodi enuntiationibus conjunctivus praesentis, imperfecti, perf., plusquamperfecti fut. periphr. usurpatus invenitur.

Conj. *praesentis* fut. periphr.

Huius formae duplex est usus: aut enim pro conj. futuri simplicis vel indicat. praes. fut. periphr. in oratione libera est habendus aut respondet in oratione recta conj. praes. potentiali. Sed utrum objectiva an potentialis vis in his conjunctivis praes. fut. periphr. insit, tantum ex perpetuitate sermonis videre licet neque ex forma ipsius protasis dijudicari potest, cuius conjunctivus per modi attractionem positus esse possit atque, etiam si vere sit conj. potentialis, tamen nihil impediat, quominus per apodosin consequens verum et certum enuntietur. Contra fieri potest, ut protasin indicativo modo utentem sequatur in oratione recta conjunctivus in apodosi. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin in nonnullis exemplis res valde incerta esset atque ambigua.

Objectiva futuri temporis vis his locis nobis occurrere videtur:

Inv. I § 11: quid futurum sit (opp.: quid factum sit, quid fiat), hoc modo (potest quaeri): si Karthaginem reliquerimus incolumem, num quid *sit* incommodi ad rem publicam *perventurum*.

Verr. III § 220: deinde, judices, videte, quam infinitam istis hominibus licentiam — *daturi sitis* sc. si hoc probatis; quod proxime antecedit.

Tusc. Disp. II § 51: philosophorum sententiis qualis hic (sc. in quo erit perfecta sapientia) *futurus sit*, si modo aliquando fuerit, exponitur.

Fam. VIII, 13, 2 (Caelius): quidnam reipublicae *futurum sit*, si aut armis resistat aut non curet, vos senes divites videritis.

Verba: *aut armis resistat* add. Wesenberg, recepit Baiterus. In hoc ex. dubium esse potest, utrum ipsa protasis conj. forma utatur propter suam potentialem vim an per modi attractionem. Apodosis autem mihi videtur tantum in re certa et vera versari.

Fam. XIII, 77, 2: hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum *futurum sit*.

Subinde eandem rem hoc modo exprimit: ego si hominem per te recuperaro, summo me a te beneficio affectum arbitrabor.

Ep. ad Brut. I, 15, 10: hoc bello victores quam rem publicam *simus habituri*, non facile adfirmaverim; victis certe nulla *erit*.

Alter usus conj. praes. fut. periphr. est in eiusmodi quaestionibus indirectis, quae apodosin contineant sumptionis rei possibilis illius quidem sed incertae. In huiusmodi enim periodis hypotheticis, quas potentiales appellare possumus, saepenumero fit, ut in apodosi pro conj. praes. simplicis conjunctivus praes. fut. periphr. ponatur, ubi apodosis quaestio indirecta sit atque altera conjunctivi ponendi causa accesserit.

Ex. sunt haec:

Inv. II § 133: deinde item quaerere (sc. oportet) ab judicibus, si eius rei causa — exceptionem ipse in lege ascribat, *passurine sint.*

Or. recta: si ascribam, vosne patiamini?

Hic ind. fut. simplicis aptus non est, quoniam ad ipsam rem, de qua agitur, refert, etiam apodosin pro dubia et incerta re accipi.

Praeterea est adnotanda, quod ad verba: *eius rei causa* attinet, varietas codicum et editionum: *causa* P A F; *causae* R; *causam* E. Orell. *causa* omisit cum Ernest. et cod. Lindemanni; Kayserus uncis inclusit »rei« atque scribit: *causae;* quod haud scio an jure fecerit. Nam in prioribus non agitur de exceptione *rei* sed *causae.* Cfr. § 130: eam causam excipere. Atque quum errore scriptum esset: *causa* pro *causae*, facile vocabulum *rei* irrepere potuit.

Ibdm: age porro, quid, si ipsi vellent judices ascribere, *passurusne sit* populus.

Signum interrogationis post vocabulum *populus* posuerunt Klotzius et Kayserus; injuria.

Nam conj. praes. fut. periphr. nusquam apud Ciceronem adhibitum inveni in quaestione directa sive potius ita, ut sententiam, in qua inest forma periphrastica, pro quaestione directa habere necessarium sit. Neque hoc loco est necesse. Facile enim audire licet verba: *quaerere oportet.* Vocabula: *age porro* eodem modo esse accipienda videntur ut particulae, quae praecedunt: *deinde, postea* i. e. particulae orationis transitus significantes. »Quid« videtur praemonere eum, qui legit, de sequenti apodosi, ita ut audiri possit: *futurum sit* vel tale quid. Pro *vellent velint* Or. sine ulla notata quidem auctoritate.

Pro P. Quinctio or. § 54: non multum me fallit, si consulamini, quid *sitis responsuri.*

Contra de eadem re in sententia relativa paullo infra: dici vix potest, quam multa sint, quae *respondeatis* ante fieri oportere.

Pro L. Balbo or. § 63: quae quidem si huic obfuerint apud vos, non intellego, quod bonum cuiquam *sit* apud tales viros *profuturum.*

In *profuturum sit* duplex potentialis vis inest, conjunctivi et ipsius participii.

Or. Phil. II § 8: (Mustela et Tiro) quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quo modo *sis* eos inter sicarios *defensurus.* »Quomodo defensurus sis« ortum ex quaestione dubitativa orationis rectae: quomodo defendas? Cicero dubitat, num eos defendere possit Antonius. Finn. IV § 59.

Off. III § 39: haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid divitiarum — — libidinis causa feceris, si id dis hominibusque futurum sit semper ignotum, *sisne facturus.*

Signum interrogationis posuerunt Klotz., Baiterus, omisit Muellerus, jure credo, nam quaestio indirecta facile potest pendere ex verbis: *haec est vis huius anuli et huius exempli,* in quibus verbis inest haec fere sententia: haec fabula de anulo Gygae prolata est a Platone ea sententia, ut per eam quaestionem proponat hanc.

Paulo infra de eadem re: quum enim quaerimus, si possint celare, quid *facturi sint,*

non quaerimus etc., ubi etiam conj. praes. fut. periphr. in oratione recta respondet conjunctivo praesentis simplicis: quid faciant?

Contra videre licet h. l., conjunctivum imperfecti in apodosi sumptionis rei non verae vel condicionalem I, qui vocatur, in quaestione indirecta immutatum manere: negant id fieri posse. Nequaquam potest id quidem, sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam *facerent.*

Ibdm. § 50: eius generis (sc. cum repugnare utilitas honestati videatur) hae sunt quaestiones: si exempli gratia vir bonus Alexandrea Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame —, si idem sciat complures mercatores Alexandrea solvisse navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, *dicturusne sit* id Rhodiis an silentio suum quam plurimo venditurus.

Hoc quoque loco credo quaestionem indirectam cum Muellero, non directam cum Klotzio et Baitero esse cernendam. Significatione autem videntur inter se non congruere hoc exemplum et illa, quae § 39 leguntur. Ibi enim putamus, potentialem illam vim in apodosi inesse, quam solam in eiusmodi hypotheticis sententiis grammatici commemorant, Draegero excepto, qui (Hist. Synt. IV § 549) de his apodosibus hoc docet: der Hauptsatz hat aber *Conjunctive von verschiedener Bedeutung* und kommt auch in Indicativ vor. Hoc autem exemplum aliter se habere videtur. Ex iis enim, quae sequuntur, videmus, hoc loco rem in deliberatione et consultatione versari. Nam haec explicandi causa addit Cicero: sapientem et bonum virum fingimus; *de eius deliberatione et consultatione* quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, an turpe non sit.

Imperativus quidam sensus necessario igitur in nostro conjunctivo inest. Accedit, quod Cicero ipse in § 57 hanc quaestionem ita dissolvit et explicat: non igitur videtur frumentarius ille Rhodios — celare emptores *debuisse.*

Quae quum ita sint, incertus sum, »dicturusne sit» utrum ortum esse putem ex conjunctivo praesentis simplicis, non illius quidem mere imperativi, sed potentiali-imperativi, ut ita dicam, an ex indicativo futuri simplicis imperativo sensu praediti. Utramque formam in quaestionibus huius similibus, quam nunc tractamus, invenire licet. Dignissimum est, quod animadvertatur, caput XXIII huius Officiorum libri, in quo, quum permultae inveniantur huiusmodi quaestiones, Cicero orationis variandae causa in apodosi adhibuerit conjunctivum praesentis simplicis in recta et obliqua oratione, futurum simplex indicat. in recta oratione, conj. praes. fut. periphr. in pendenti oratione, postremo duobus singularibus locis, altero in quaestione indirecta (?) *debeatne*, altero in quaestione libera: *dicendane.* Omnibus his locis quaestio institui videtur, quid quis certa quadam condicione facere *debeat*, quid facere quem jubeat officium. »Dicturusne sit» igitur in oratione recta aut: dicatne (= debeatne dicere), aut: dicetne.

Ibdm. § 91: quaerit etiam (Hecato), si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, cum id rescierit, *soluturusne sit* eos, si cui debeat, pro bonis.

Hoc exemplum prioris simillimum esse videtur.

Nunc afferemus ea exempla, in quibus dubium esse potest, utrum objectiva an potentiali significatione praeditus sit conj. praes. fut. periphr.

Herenn. II § 22: ab adversario percontabitur accusator, *quid futurum sit*, si idem caeteri faciant.

Ibdm. II § 50: misericordia commovebitur auditoribus, si, quae nobis *futura sint* nisi causam obtinuerimus, enumerabimus.

Ibdm. III § 9: qui tutae rei praeponet rationem honestam, his locis utetur: — — — vel dolorem, si timeatur, vel mortem—dedecore et infamia leviorem esse, considerare quae *sit* turpitudo *consecutura*: at non immortalitatem neque aeternam incolumitatem consequi — — —

Inf. »considerare» nimirum difficilis est ad explicandum. Orellius legit: se considerare (= loquentes). Kayserus *considerare* uncis inclusit atque pro »turpitudo» *turpitudinem* legendum putat. Falso, credo. Nam apertum est, tum particulam, quae est *at*, nullam habere probabilem causam, cur scripta sit. Schützius auctore Graevio legendum censet: *considerandum.* Fortasse »oportere» est addendum. Quod quidem non audacius esse videtur quam quum Kayserus Invent. II § 130 »oportebit» addidit, ubi codicum lectio est: deinde hanc inducere partitionem. Ut illo loco gerundivum in proxime antecedentibus verbis inest: primum erit contra dicendum, sic hoc loco praecedit: virtutem nullo tempore relinquendam; unde concludo, Klotzium utrobique censuisse »oportere» esse audiendum.

Sententia: *quae sit turpitudo consecutura* apodosis est protasis verbis illius quidem non expressae, sed quae facile audiri possit: si incolumitas honestae rationi praeponatur.

Postremo est observandum, infinitivum praesentis simplicis: *consequi* cum conjunctivo praesentis fut. periphr. esse conjunctum in duobus illis enuntiatis, quae pro objecto verbi, quod est *considerare,* haberi possunt.

Eodem modo conjunctivi praesentis fut. periphr. et praes. simplicis conjuncti sunt

Herenn. II § 48: tertius locus est, quo percontamur, quid *sit eventurum*, si omnibus idem concedatur, et, ea re neglecta, quid periculorum atque incommodorum *consequatur.*

Inv. I § 101: tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam *sit eventurum,* si idem caeteri faciant.

Ibdm. II § 54: item infirmabitur (adversariorum descriptio majestatem minuendi), si — quae incommoda *consecutura sint* eo concesso ostendetur.

Ibdm II § 86: considerari oportere, quid mali *futurum sit* —, nisi tanta audacia — vindicata sc. sit.

Pro A. Caecina or. § 35: quaero, si te hodie domum redeuntem coacti homines — aditu prohibuerint, quid *acturus sis.*

»Acturus sis» potest esse ortum ex: quid agas?, potest etiam ortum esse ex: quid ages?, ut scriptum legitur alio loco de hac eadem re. Est enim § 89 haec ipsa defensio sic verbis concepta: quid? si qui — prohibuerit, quid ages?

In Vat. test. interrog. § 5: (patronis tuis) jam praescribis, quanto illis probro *futurum sit,* si te defenderint, cum tu mihi Cornelii defensionem in maledictis objiciendam putaris.

Ep. ad Att. X, 1, 4: eo minus habeo necesse (quoniam me de pace legatum iri non arbitror) scribere aut etiam cogitare quid *sim facturus,* si acciderit ut legerer.

Praeter illam huius priorumque exemplorum communem ambiguitatem alia est huius loci propria ambiguitas et difficultas, quae in eo posita est, quod duo verba inter se dissimillima interrogationem obliquam regunt: scribere et cogitare.

Objectivam igitur futuri significationem si in forma periphrastica inesse putemus, in locutione: *non habeo necesse scribere, quid sim facturus* facilius cernitur *temporis futuri* vis quam in altera locutione: *non habeo necesse cogitare, quid sim facturus,* ubi dubitationis et deliberationis vis sit admixta. Qui enim cogitat, quid faciat, etiam in dubitatione versatur, quid sit sibi faciendum. Verbo cogitandi igitur subjecta haec enuntiatio interrogativa respondere videtur in oratione recta quaestioni dubitativae vel deliberativae: quid faciam, quare esset in oratione pendenti potius: *quid faciam* quam: *quid facturus sim,* quoniam conjunctivus deliberativus in pendenti interrogatione immutatus manet. Potest fortasse haec difficultas ita

dissolvi, ut putemus h. l. interrogationem obliquam ei verbo regenti inservire, quod proprie spectat ad rem, in qua versatur scriptor, i. e. scribere.

Alio modo res se habet, si potentialem vim statuamus h. l. formae periphrasticae esse tribuendam. Tum post verbum, quod est *scribere,* oritur mera hypothetico-potentialis significatio, post verbum *cogitandi* autem potentialis cum imperativa conjuncta vis [1]).

Utraque hac significatione praeditus conj. praes. fut. periphr. suum locum obtinet, ut ortus ex conj. praes. simplicis or. rectae.

Postremo est adnotandum, illud *si acciderit, ut legerer* codicum et editionis Wesenbergianae cum Baitero et Bootio necessario esse mutandum in: *si acciderit, ut leger,* quoniam »acciderit» conj. fut. ex. est.

Imperfectum conj. fut. periphr. in quaestione indirecta apodosin hypotheticam efficiente.

Hoc tempus in apodosi, quae quaestio indirecta est, ita adhibetur, ut in oratione recta respondeat aut 1) indicativo futuri simplicis vel praesentis fut. periphr. aut 2) conjunctivo praesentis simplicis aut denique 3) indicativo imperfecti fut. periphr.

1) Conj. impf. fut. periphr. indicativo futuri simplicis vel praesentis fut. periphr. in oratione non pendenti respondet.

Protasis tum continet sumptionem rei verae et certae, atque periodus hypothetica exsistit, quam brevitatis causa genus indicativum vel objectivum appellamus.

Ad hoc genus periodorum hypotheticarum haec pertinent exempla:

De Oratore II § 259: est ex hoc genere (sc. ridiculi in re positi ad verbum, non ad sententiam accepta) illud, quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num tibi molestus *esset futurus,* si ad te bene ante lucem venisset: *tu vero,* inquisti, *molestus non eris.*

Acad. Prior. II § 77: quaesivit de Zenone fortasse, quid *futurum esset,* si nec percipere quidquam posset sapiens nec opinari sapientis esset.

Or. recta: quid futurum est, si (ɔ: quoniam) nec percipere quidquam potest sapiens nec opinari sapientis est?

Divin. I § 30: signo objecto monuit Crassum, quid *eventurum esset,* nisi cavisset.

Divin. II § 62: miror — cur alteram utram (anguem) emiserit (Tib. Gracchus); nihil. enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid *esset futurum.*

Fam. IV, 14, 2: si ii vicissent, ad quos — accesseram, tamen intelligebam, quam crudelis *esset futura* victoria; sin autem victi essent, quantus interitus *esset futurus* civium

Cum hoc exemplo conferendum est

Fam. IV, 9, 3: an tu non videbas mecum simul quam illa crudelis *esset futura* victoria? (illa victoria = victoria Pompeianorum). Protasis omissa quidem est, sed videtur quodammodo pronomen, quod est *illa,* positione sua eam significare: ɔ: si illi vicissent.

Fam. VII, 8, 1: cui quidem ego rescripsi, quam mihi gratum *esset futurum,* si quam plurimum in te studii contulisset. Fam. X, 33, 2 (Pollio).

2) Conj. impf. fut. periphr. in sententia interrogativa obliqua positus, quae apodosin efficit sumptionis rei possibilis illius quidem sed incertae.

Ad hoc genus potentiale periodorum hypotheticarum hoc exemplum referendum esse videtur:

---

[1]) Cfr. pag. 27.

Att. X, 1, 3: si quid eiusmodi evenerit, ut arcessamur — quod equidem non curo, quid enim *essem* de pace *dicturus,* dixi, ipse valde repudiavit — sed tamen etc., ubi illud: *quid essem dicturus* apodosin efficit sumptionis cuiusdam, quae audienda est: *si evenisset, ut arcesseremur.* In oratione autem libera haec periodus ad genus potentiale pertineret: *si evenerit, ut arcessamur,* (aliquid) *dicam,* cujus periodi apodosis in interrogationem indirectam transformata quum ex tempore praeterito pendeat, conjunctivus praesentis simplicis in conjunctivum imperfecti fut. periphr. mutatur prorsus eodem modo, quo tempus praesens sequi potest conjunctivus praesentis fut. periphr. in eodem genere sententiarum.

In incerto autem relinquendum esse videtur, utrum conj. impf. fut. periphr. conjunctivo praesentis simplicis an indicativo futuri simplicis vel praesentis fut. periphr respondeat de Imper. Cn. Pomp. § 59: qui quum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem *essetis habituri* . . . .

3) Conj. impf. fut. periphr. in quaestione indirecta, quae apodosis est sumptionis rei non factae.

Utraque sententia hypothetica ad praeteritum spectat tempus, atque conj. impf. fut. periphr. respondet in oratione recta indicativo imperfecti fut. periphr. eodem modo usurpato i. e. pro conjunctivo plusquamperfecti ut condicionali II, quem vocant.

Ex. sunt haec:

En. interrogativa pendet ex tempore futuro:

Herenn. II § 22: quaeret ab accusatoribus, ab judicibus ipsis, quid *facturi essent,* si in eo loco fuissent sc. quo fuit reus.

Or. recta: quid facturi eratis (= quid fecissetis), si in eo loco fuissetis?

Aliter hoc ex. explicant Lattmannus—Müller (§ 179, adn. 7) et Hoppe (der conj. der conjugat. periphr. pag. 12), qui docent, per protasin aliquid sumi rei veritati contrarium praesenti, non praeterito tempore. Tum »fuissent» ad »facturi essent» relatum antecedentiae vim habet, atque *facturi essent* pro condicionali I, non II est accipiendum. Sed duo obstant, et quod, ut jam vidimus[1]), conj. imperfecti ut condicionalis I in quaestione indirecta immutatus manet, et quod conj. imperfecti fut. periphr. contra, quod statuunt Lattm. et Müller in arte sua § 179 adn. 1, numquam in apodosi non pendenti pro condicionali I usurpatur.

Ex tempore praeterito pendet en. interrogat.:

Or. Phil. I § 12: quod si scisset, quam sententiam *dicturus essem,* remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

Protasis omissa illa quidem est, sed facile auditur: si adfuissem. Ad sententiam formae: *dicturus essem* explicandam idonea est paragraphus proxima, ubi haec leguntur: an me censetis — *decreturum fuisse* — — —? — — — Ego vero eam sententiam *dixissem,* ut — —

Or. Phil. XIV § 8: quaeque *esset facturus* in hac urbe, nisi eum hic ipse Juppiter ab hoc templo atque moenibus reppulisset, declaravit in Parmensium calamitate.

Hoc quoque loco conj. imperf. fut. periphr. in quaestione indirecta positus est, quae apodosin contineat sumptionis rei praeterito tempore non factae.

Conj. perfecti fut. periphr. in interrogatione obliqua, quae apodosin efficiat hypotheticam.

Quae huc pertinent exempla, ea omnia eiusmodi sunt, ut conj. perf. fut. periphr. in oratione recta respondeat indicativo perf. fut. periphr. in apodosi sumptionis rei praeterito

---

[1]) Cfr. pag. 27.

tempore non factae sive conjunctivo plusquamperfecti ut condicionali II. Omnibus locis praeter unum verbum regens tempore praesenti utitur.

Exempla haec sunt:

In Vat. test. interrog. § 20: quaero, si augur factus esses, utrum *decreturus fueris*, Jove fulgente cum populo agi nefas esse, an auspicia *fueris* augur *dissoluturus*.

In Pison. or. § 14: ostendis. qualis tu, si ita forte accidisset, *fueris* consul *futurus*.

Pro Mil. or. § 33: (an vero, judices,) vestrae peregrinantur aures neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges *fuerit impositurus* nobis omnibus atque *inusturus?* (sc. Clodius, si praetor factus esset.)

Ibdm.: videte, quid ea vitii lex *habitura fuerit*, (sc. si promulgata esset) cuius periculosa etiam reprehensio est.

Pro Ligar. or. § 24: quamquam, quid *facturi fueritis*, (sc. si in provinciam essetis recepti), dubitem, quum videam, quid feceritis?

Or. post redit. in sen. habit. § 9: quod si Q. Metellus illo tempore consul fuisset, dubitatis, quo animo in me conservando *fuerit futurus?*

Fam. X, 31, 5 (Pollio): qua tradita (= quae si esset tradita sc. legio XXX) quanto infirmior *fuurus fuerim*, quis ignorat?

Unum illud exemplum, in quo a tempore praeterito pendeat interrogatio obliqua, est

Att. II, 16, 2: *quid futurum fuerit*, si Bibulus tum in forum descendisset, se divinare non potuisse.

Conjunctivus plnsquamperfecti fut. periphr. in quaestione indirecta, quae apodosis est hypothetica.

Hoc tempus in apodosi sumptionis rei non factae post tempus historicum uno tantum loco inveni. Est or. pro Cn. Plancio § 90: quin etiam si me vis aliqua morbi aut natura ipsa consumpsisset, tamen auxilia posteritatis essent imminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis *futurus* in me retinendo *fuisset* senatus populusque Romanus.

Illud »retinendo« vel delendum esse vel in »restituendo« mutandum censuit Garatonius. Jure, credo. Nam non tam in retinendo quam in restituendo apparuit animus studiumque erga Ciceronem senatus populique Romani. Uncis incluserunt Baiterus in Or. II, Kayserus.

Jam igitur vidimus, condicionalem II, quem vocant, in quaestione obliqua exprimi 1) *post tempus principale* a) per conj. *imperf.* fut. periphr. (semel), b) per conj. *perf.* fut. periphr. (septies); 2) *post tempus historicum* a) per conj. *imperf.* fut. periphr. (bis), b) per conj. *perf.* fut. periphr. (semel), c) per conj. *plusquamperf.* fut. periphr. (semel).

Enuntiationes hypotheticae.

Exempla huc pertinentia ad tria illa genera periodorum hypotheticarum referri possunt: genus indicativum, genus potentiale, genus condicionale vel irreale.

Genus indicativum.

Quae ad hoc genus referenda sunt exempla, eorum praeter unum omnium id est proprium, quod conj. fut. periphr. in protasi legitur, quae sententia orationis obliquae secundaria sit.

Conj. *praes.* fut. periphr.

Mil. § 96: nunc denique, si haec contra se *sint futura*, sibi facinoris suspitionem, non facti crimen obstare.

Obstare sc. scit, quod ex proxime antecedenti: *meminit* est audiendum.

Or. recta: si haec contra me erunt vel futura sunt, mihi facinoris suspitio, non facti crimen obstat. Minus usitatum tamen futurum simplex in huiusmodi protasi.[1])

Tusc. III § 32: Si vero ne *futurum* quidem *sit* (sc. illud praemeditatum malum), frustra suscipi miseriam voluntariam sc. censet Epicurus.

Or. recta: Si vero ne futurum quidem est, frustra suscipitur — — —.

Att. V, 4, 2: est enim ita, ut, si ante Kal. Junias Brundisii *futurus sit,* minus urgendi fuerint M. Anneius et L. Tullius.

Hic conjunctivus in protasi est propter modi attractionem positus neque ad ipsam sententiam hypotheticam pertinet, utpote quae meram atque simplicem sumptionem contineat nulla dubitationis vi admixta.

Utraque sententia non pendens hoc modo se haberet: si — erit l. futurus est, minus urgendi fuerunt — —.

In exemplis allatis objectiva futuri temporis vis in forma periphrastica inesse videtur. Subjectiva autem vi praeditus est conj. praes. fut. periphr.

Tusc. V, § 95: itaque hac usurum compensatione sapientem, ut et voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem *effectura sit,* et dolorem suscipiat maiorem efficientem voluptatem.

Or. recta: hac utetur compensatione, ut — fugiat, si ea — effectura est i. e. si verendum est, ne — efficiat.

Conj. *imperf.* fut. periphr.

Hoc tempus in protasi ad genus indicativum pertinente objectiva futuri temporis vi praeditum duobus locis legitur:

Att. IX, 9, 4: de Lanuvino — optavi, si modo *esset futura* res publica, ut id aliquis emeret meorum.

Or. recta: Si modo erit l. futura est res publica — — —.

Ep. ad Brut. I, 11, 2 (Brutus): rediturum ad nos confirmavit legatione suscepta, nisi praetorum comitia *habituri essent* consules.

Or. recta: redibo ad vos legatione suscepta i. e. simulatque legationem suscepero, nisi praetorum comitia habituri sunt vel, si temporis ad sententiam primariam ratio significanda est, habituri erunt consules. Sententia enim hypothetica ulterius tempus futurum respicit quam sententia primaria.

Cfr. contra Att. IV, 2, 6: »ego me a Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, ut aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere possem«, ubi eiusdem temporis ratio intercedit inter *haberent* et *petere possem.*

Genus potentiale.

Conj. *praes.* fut. periphr. in protasi.

Objectiva fut. temporis vi praeditus:

Fat. § 13: at si ista comprobabis divina praedicta, et, quae falsa in futuris dicentur, in his habebis, ut ea fieri non possint, ut, si dicatur, Africanum Karthagine potiturum, et, si vere dicatur de futuro idque ita *futurum sit,* dicas esse necessarium.

[1]) Cfr. praef.

Verba »ut, si dicatur, Africanum Karthagine potiturum» ejecerunt Baiterus et Muellerus. Injuria. Nam quum hoc simile omnino nusquam in hoc fragmento usurpatum inveniatur neque facile cernas unde desumptum, temere admodum et audacter haec verba tolluntur. Et vero optime suum locum, modo paullulum mutatum, obtinere videntur. Scribe enim: *et, si vere quid dicatur de futuro, ut, si dicatur, Africanum Karthagine potiturum, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium;* omnia plane et simpliciter procedent. Vocabulum *quid,* quod addidi, aegre requiras, atque ante *dicatur* positum facile librarium effugere potuit.

Off. III § 39: haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo *sciturus,* nemo ne *suspicaturus* quidem *sit,* cum aliquid divitiarum, potentiae, dominationis, libidinis causa feceris, si id dis hominibusque *futurum sit* semper ignotum, sisne facturus.

In his sententiis secundariis hypotheticis conjunctivus non praes. simplicis, sed praes. conjugationis periphrasticae locum habet, propterea quod ea, quae sumuntur, tempore sequi apodosin sunt putanda. Atque facillimum est jam in primo conjunctivo: *sciturus sit* ostendere, quid significatione differat protasis: *si nemo sciturus sit* sit ab hac protasi: *si nemo sciat.* Illud enim est: om ingen skulle få veta det, antag, att ingen får (kommer att) veta det; hoc autem: om ingen skulle veta, ha reda på det, antag, att ingen vet det.

Subjectiva futuri significatione praeditus est conj. praes. fut. periphr.:

Off. I § 57: Sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei *sit profuturus?*

Sit profuturus ɔ: sciat l. sperare potuerit se profuturum.

Att. X, 1, 3: sed tamen hominis hoc ipsum probi est † magnum sit τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, veniendumne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona *deliberaturus sit* = deliberare velit).

Verba illa corrupta Wesenberg ita corrigenda esse suspicatur: probi est et magnum τι τῶν κ. τ. λ. Bootius autem verba sic putat refingenda: sed tamen hominis hoc ipsum probi est et magni. Unum est τῶν κ. τ. λ. Utrum melius aut quid sit statuendum, nimirum valde incertum.

Conjunctivus *imperfecti* fut. periphr. in protasi potentiali legitur

Mil. § 68: quae si non probaret, si tibi ita penitus inhaesisset ista suspitio, nullo ut evelli modo posset, si denique Italia a dilectu, urbs ab armis sine Milonis clade numquam *esset conquietura,* ne ille haud dubitans cessisset patria.

Probaret = probare posset; *esset conquietura* positum est de eo, quod, ut fiat, ratione aliqua constitutum est. Quae quidem ratio h. l. suspitio Pompeii est.

In huiusmodi periodis hypotheticis *imperfectum* conj. in utraque sententia adhiberi solet, plusquamperfectum conj. raro et in protasi sola (Cfr. Kühner § 214, 4). Huius autem *apodosis* plusquamperf. ita explicari posse videtur, ut etiam apodosis sumptionis rei non factae habeatur. Cohaerent enim ea verba, quae ascripsimus, cum prioribus: quod si locus Miloni datus esset, probasset profecto tibi ipsi etc. Quae duae periodi ita conjungendae sunt: si locus datus esset, aut probasset aut, si non probaret — — — —, cessisset.

Genus condicionale vel irreale.

Etiam in iis periodis hypotheticis quae ad hoc genus pertinent, sive iis, quarum protasi aliquid sumitur rerum veritati contrarium, conjunctivus futuri periphr. tantummodo in protasi usurpatus est et vero conj. imperfecti fut. periphr. quinquies, conj. plusquamperf. semel.

Exempla conj. *imperf.* fut. periphr. in protasi haec sunt:

Acad. prior. II § 67: sed illud primum, sapientem, si *adsensurus esset*, etiam opinaturum, falsum esse et Stoici dicunt et eorum astipulator Antiochus.

Verbis »illud primum» referuntur animus et cogitatio legentis ad propositionem proxime antecedentis argumentationis: si ulli rei sapiens adsentietur umquam, aliquando etiam opinabitur. Quaerendum est igitur, quomodo haec propositio repetita sit. Et fortasse ita repetitur, ut ratio habeatur mentis eorum, a quibus facta sit argumentatio i. e. Academicorum Recentiorum. Qui quidem quum docerent, nihil esse, quod percipi posset, nullum esse veri et falsi judicium, illud sequebatur, ut sapienti potius omnem cohibendum adsensum putarent quam ut periculum subiret, ne quid adsentiretur aut plane falsum aut certe incognitum. Ad hanc igitur rationem accommodate expressa si sint nostra verba, ita explicanda sunt, ut sumptio: si adsensurus esset pro sumptione rei non futurae habeatur, cui opponenda sit haec affirmatio: at numquam adsentietur.

Tamen haud scio, an alia explicandi ratio magis apta minusque arcessita sit. Ut satis constat, non admodum rara, maxime apud Ciceronem, ea post praesens indicativi temporum consecutio est, ut, si illud praesens, sicut hic fit, inducat verba scriptorum illorum quidem mortuorum, sed quorum scripta exstent, praesens tempus verbi regentis pro praesenti historico accipiatur. (Cfr. Kühner § 181, 2 a). Quae quum ita sint, mihi animus magis inclinat, ut credam, verba: *sapientem, si adsensurus esset, etiam opinaturum* scripta esse pro: *sapientem, si adsensurus sit, etiam opinaturum.* Quod si recte statuatur, simul id ex hoc loco discimus, futurum illud: *adsentietur* in sententia: *si ulli rei sapiens adsentietur umquam* non esse vertendum: *håller* för viss, sed: *skall* (= bör) hålla för viss. Si enim significaret: håller för viss i. e. si esset illud futurum tempore referendum ad verbum sententiae primariae: *opinabitur*, nimirum oratio pendens non formam haberet: *si adsensurus esset,* sed: *si adsentiretur.*

Finn. IV, § 62: rogarem te paullum loci mihi, ut iis responderem, dares, nisi et te audire nunc mallem et istis tamen alio tempore *responsurus essem,* tum scilicet, quum tibi.

Affirmatio opposita: at sum responsurus ɔ: respondere in animo habeo..

N. D. III, § 77: et, si verum est, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus philosophos iis, qui bene dicta male interpretarentur, prorsus, si qui audierunt vitiosi *essent discessuri,* quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur, tacere praestaret philosophis quam iis, qui se audissent, nocere.

Sic praeter Klotzium Muellerus et Schoemannus legunt. Madvigius autem, quem sequitur Baiterus, verba: *si qui audierunt — interpretarentur* uncis seclusit atque pro: si verum *est* si verum *esset* legendum putat. Cuius rei tamen nulla causa esse videtur. Nam talis protasis hypotheticae repetitio et vero aliter conformatae, qualis hic est, a sermonis consuetudine Ciceronis non abhorret. Cfr. Schoemanni ad h. l. adnot.

Verba: *si essent discessuri* Moser., Germanus ille Ciceronis interpres, vertit: wenn (die Zuhörer) herauskämen, qua interpretatione haud scio an non tam »essent discessuri» quam »discederent» explicetur. »Discederent» autem propterea non scriptum esse videtur, quod tum sumptioni opponenda esset haec affirmatio: at non discedunt, quae affirmatio abhorret a priore sumptione: si verum est etc., qua hoc idem sumitur. Aliter res se habet in sumptione: si discessuri essent, cui contraria sit haec affirmatio: at non sunt discessuri ɔ: non est necesse eos discedere, non est credibile, perverse accepta philosophorum sententia hoc *necessario* effici, etiam si nonnumquam id fieri possit.

Postremo adnotabo, in lectione ascripta me pro »et» ante: *si verum est* cum Davisio et Baitero *ut* scribendum censere, qua particula illud *sic*, quod sequitur, responsionem accipiat.

Att. X, 8, 2: consilium istud tum esset prudens, ut mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum *accommodaturi essemus;* quod fieri **.

In loco mutilo supplendo viri docti inter se discrepant: nequit (Koch, Baiter), non potest (Wesenb.), non debet, non oportet (Id.). Utrumque supplementum (nequit, non potest et: non debet, non oportet) loci sententia admittere videtur. Significatio autem formae periphrasticae nulla alia esse potest quam ea, qua quid fieri oporteat, consentaneum sit denotetur. Si accommodaturi essemus ɔ: si consentaneum esset, si oporteret nos nostras rationes accommodare ad — ---, cui sumptioni contraria est haec affirmatio: at non sumus accommodaturi ɔ: non oportet, non consentaneum est, nos accommodare.

Postremo afferam

Off. I, § 78: mihi quidem Cn. Pompeius hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio ubi triumpharet *esset habiturus;*

ubi conj. impf. fut. periphr. in protasi non, ut in prioribus exemplis, ad praesens vel futurum, sed ad praeteritum spectat tempus.

Primum enim oratio obliqua huius exempli in orationem rectam mutata hoc modo se habet: frustra triumphum tertium (deportaturus eram, fui) deportavissem, nisi tuo in rem publicam beneficio ubi triumpharem essem habiturus. Deinde huic protasi: nisi — essem habiturus contraria est haec affirmatio: at eram habiturus. Verto igitur nostram protasim: om han icke skolat hafva, varit beskärd att hafva ɔ: nisi sibi datum esset, ut haberet; atque minus recte credo hunc locum in grammatica Lattm.—Mülleri tractari, ubi (§ 179, adn. 3) *esset habiturus* dicitur idem esse atque *haberet* (= habuisset).

Conj. *plusquamperfecti* fut. periphr.

Hoc tempus semel in protasi legitur

Mil. 48: occurrit illud: igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus. Si quidem *exiturus* ad caedem e villa non *fuisset.*

Cui condicioni opponenda est haec affirmatio: at exiturus fuit, exire in animo habuit.

Etiam in apodosi uno loco nobis occurrit conj. plusquampf. fut. periphr.

Lig. or. § 23: recepti in provinciam non sumus. Quid, si essetis? Caesarine eam *tradituri fuissetis* an contra Caesarem *retenturi?*

Sic Klotzius codices omnes meliores secutus; *tradituri fuistis* a (= cod. Ambrosianus), Lambinus, Madvigius, Baiterus in Or. II, Kayserus, Muellerus. Sine dubio lectio codicum meliorum h. l. est abjicienda, utpote quae notae sermonis legi repugnet neque ullo modo loci sententia commendetur. Nam significaret: (om I blifvit upptagne), skullen I då hafva varit betänkte på, beslutne att öfverlemna, quae significatio ab sententia loci abhorret, ubi non quaeritur, quid condicione rei non factae consilium alicuius futurum fuerit, sed quid quis facturus fuerit. Cfr. § 24: quaero: quid facturi *fuistis?* quamquam quid facturi fueritis dubitem, quum videam quid feceritis. Credo igitur, »fuissetis» ex vera et principali forma »fuistis» librariorum culpa inculcatum esse. Alia est ratio alterius conj. plusquampf. fut. periphr. in apodosi concessiva. [1])

[1]) Vide pag. 39.

Enuntiationes concessivae.

Primum tractabimus eas en. concessivas, quae a *si*, *etiam si*, *si minus* (semel) incipientes cum enuntiationibus hypotheticis structura plane congruunt.

In his quoque sententiis secernenda sunt tria illa genera periodorum hypotheticarum: genus indicativum l. objectivum, genus potentiale, genus irreale l. condicionale. Tamen id animadvertendum est, ut saepe alias, sic maxime hic genera illa objectivum et potentiale difficillimum esse alterum ab altero distinguere: fere nullum exemplum eiusmodi est, ut pro certo statuere liceat, id ad genus indicativum pertinere. Quae quum ita sint, haec duo genera periodorum simul unaque tractabo et vero primum ea afferam exempla, ubi dubium esse possit, utrum objectiva an potentialis in sententia concessiva vis insit.

Ad genus objectivum an ad genus potentiale referenda sit sententia concessiva?

Marcell. §§ 11, 12: quae quidem (res) tanta est, ut, si ulla tropaeis et monumentis tuis *adlatura* finem *sit* aetas — — —, at haec tua justitia florescat cotidie magis.

Conj. *adlatura sit* potest per solam modi attractionem positus esse, quamquam potentialis conjunctivi significatio non omnino exclusa esse videtur.

Solutum igitur a nexu consecutivo nostrum exemplum aut hanc accipiet formam: si ulla allatura finem *est* aetas, at — florescet aut hanc: si — allatura — sit —, at florescet.

Quod ad scripturam nostri exempli attinet, adnotandum est, lectionem: ut si ulla — florescat conjecturam esse Klotzii pro codicum plurimorum: ut nulla — florescet (-it); quae quidem conjectura, quum tam prope accedat ad lectionem codicum optimorum: *ut nulla* et tam apta sit ad loci sententiam, mihi valde arridet. Baiterus in Or. II et Kayserus receperunt reliquorum codicum lectionem: ut tropaeis — adlatura finem sit aetas: at — florescet. Item Muellerus praeter *florescit* pro: *florescet.*

Fat. § 13: tu et quae non sint futura posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam *futurum sit.* Or. recta: frangi haec gemma potest, etiam si id numquam futurum est l. sit.

In duobus allatis ex. objectiva futuri temporis vis in forma periphrastica inesse videtur. Subjectivam autem quandam vim his locis statuendam esse credo:

Planc. or. § 98: audi, audi atque attende, Laterensis, ut scias quid ego Plancio debeam confiteareque aliquando me quod faciam et grate et pie facere: huic autem, quae pro salute mea fecerit si minus *profutura sint,* obesse certe non oportere.

Profutura sint ɔ: prodesse debeant.

Finn. III § 57: dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiam si postumi *futuri sint,* propter ipsos, sic futurae post mortem famae tamen esse — consulendum.

Etiam si postumi futuri sint ɔ: etiam si exspectare possimus, ut postumi sint.

Ibdm V § 50: non intelligunt idcirco esse ea (sc. studia) propter se expetenda, quod nulla utilitate objecta delectentur animi atque ipsa scientia, etiam si *incommodatura sit,* gaudeant. Or. recta: animi ipsa scientia, etiam si incommodatura est l. sit, gaudent. Etiam si incommodatura est l. sit ɔ: etiam si sciunt l. sciant, eam incommodaturam.

Conj. *imperfecti* fut. periphr. in sententia concessiva a *si* incipiente legitur in Verr. III § 104: sumam annum tertium, quod ab isto ita administratus, ut, quum se certe decessurum putaret, non laboraret, si aratorem in Sicilia nullum omnino *esset relicturus.*

Or. recta: non laboro, si nullum omnino sim l. sum relicturus.

Quae ambigua sunt exempla, attuli. Jam nos transferamus ad ea exempla, de quibus dubitari non potest, quin ad genus potentiale pertineant.

Finn. III § 38: quis autem honesta in familia institutus et educatus ingenue non ipsa turpitudine, etiam si eum *laesura* non *sit,* offenditur?

Etiam si eum laesura non sit ɔ: etiam si eum laedere non possit, etiam si sciat, eam se non laesuram esse.

Cluent. or. § 158: non enim debeo dubitare, judices, quin, si qua causa delata sit eius, qui lege non teneatur, etiam si is invidiosus videatur, etiam si eum oderitis, etiam si inviti *absoluturi sitis,* tamen absolvatis et religioni potius vestrae quam odio pareatis.

Difficile dictu est, quidnam sit causae, cur *absoluturi sitis,* non *absolvatis* posuerit Cicero in enuntiatione concessiva. Necesse enim videtur esse, utramque sententiam et protasin et apodosin, quum unam eandemque actionem significent, idem tempus habere. Conjunctivus autem praesentis fut. periphr. in en. secundaria ad conjunctivum praes. simplicis en. primariae relatus ulterius futurum tempus significat. Quae quum ita sint, exspectares, potius hic scriptum fuisse: non debeo dubitare, quin — — — etiam si inviti *absolvatis,* tamen *absoluturi sitis,* in quo *absoluturi sitis* ex *absolvatis* in oratione non pendenti ortum esset. Neque prorsus incredibile mihi videtur hic commutationem aliquam esse factam, ita ut *absoluturi sitis* et *absolvatis* locum inter se commutarent, et illam quidem ab eo factam, qui in duobus illis copulatis et diversis conjunctivis offenderetur: absoluturi sitis — pareatis. Quae quidem tempora si fuerint ab initio conjuncta, satis haec explicatur conjunctio exemplis, quale est Arch. Poët. § 30: haec (memoria) sive *afutura est* sive — ad aliquam mei partem *pertinebit,* nunc quidem certe cogitatione delector. Eadem enim in utroque loco est causa, cur formam periphrasticam excipiat forma verbi simplex, in eo posita, quod utrique verbo et parendi et pertinendi deest forma participii futuri (quamquam de verbo parendi adnotandum est, apud Justinum solum *pariturus* nobis occurrere). Alterum ex., ubi conjunctivum periphrasticum excipit conjunctivus simplex verbi, cui deest participium futuri, pro conj. *futuri* positus, habes Qu. fr. III, 1, 11.

Finn. V § 46: multosque etiam dolores (sc. videsne ut) curationis causa perferant, ut, si ipse usus membrorum non modo non maior, verum etiam minor *futurus sit,* eorum tamen species ad naturam revertatur?

Off. III § 68: suntne igitur insidiae tendere plagas, etiamsi (feras) *excitaturus* non *sis* nec *agitaturus.* ɔ: etiamsi excitare in animo non habeas nec agitare.

Conj. *imperfecti* fut. periphr. in sententia concessiva a *si* incipiente, quae sumptionem continet rei possibilis illius quidem sed incertae, legitur

Flacc. § 2: quod si *esset* aliquando *futurum,* ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, numquam tamen existimavi, D. Laelium eam suscepturum accusationem.

Pronomen »quod» fortasse non est h. l. ille accusativus adverbialis, qui a nobis vocabulo »men» verti solet, sed subjectum sententiae: hvilket om också = men om nu också detta, atque respicit priorem sententiam. »Futurum esset» potentialis conjunctivus est atque imperfecti forma utitur ut accommodatum ad praeteritum: *existimavi* sententiae primariae. Postremo est quaerendum, num in verbis illis: *futurum esset, ut cogitaret* cernenda sit illa circuitio futuri periphrastici, cuius docent grammatici nonnulli (cfr. Lattm.—Müller § 99, 3) usum triplicem omnino esse. Circumscribi enim dicunt 1) conjunctivum fut. passivi 2) infinit. fut. passivi (et nonnumquam activi) 3) conjugationem periphr. activam eorum verborum, quibus desit participium fut. activi. Atque praemonendum est, si »futurum esset, ut cogitaret» *cogitaturus esset* circumscriberet, hoc exemplum solum exemplum huiusmodi circumscribendi

rationis futurum esse: nusquam enim alias apud Ciceronem ullum exemplum inveni circumscriptorum conjunctivorum futuri activi vel passivi, sed ubi conjunctivus futuri verbi cuiusdam, cui deest participium futuri, formandus fuit, conjunctivus simplex, non circumscriptus positus est. Quae quum ita sint, valde incertum videtur, num h. l. huiusmodi circuitio sit statuenda. Atque necessaria nullo modo esse potuit. Nam praeterquam quod verbum, quod est *cogitare*, participium futuri habet, haud scio, an etiam conjunctivus simplex h. l. scribi potuerit. Cfr. verba proxime antecedentia »sed si forte aliquando beneficii huius obtrectator — — *exstitisset*, existimabam L. Flacco multitudinis potius imperitae — judicium esse subeundum»; ubi illud *exstitisset* pro conjunctivo *futuri* potentiali est accipiendum.

Itaque animus mihi magis inclinat, ut credam, illud: *quod si esset futurum, ut — cogitaret* non tam circumscribere formam periphrasticam quam plenius et gravius dictum aut pro: *quod si cogitaturus esset* aut pro: *quod si cogitaret* l. *cogitasset*. Cfr. Marc. or. § 26: quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, *hic exitus futurus fuit, ut — relinqueres* etc.

Genus irreale.

Conjunctivus *imperfecti* fut. periphr. in protasi his locis legitur:

Caecil. § 43: ac si tibi nemo *responsurus esset*, tamen ipsam causam demonstrare non posses.

Sententia hypothetica sumitur aliquid, cui contraria est haec affirmatio: at certe aliquis tibi respondebit.

Leg. Agr. II § 85: qua re etiam si ad vos *esset* singulos aliquid ex hoc agro *perventurum*, qui vobis ostenditur, aliis comparatur, tamen honestius vos universi quam singuli possideretis. Nunc vero quum ad vos nihil pertineat, nonne huic legi resistetis?

Fam. IV, 7, 4: qui si facile *passurus esset* te carentem patria quiete et libere vivere, cogitandum tamen tibi esset, Romaene an Mytilenis malles vivere.

Ibdm. XIII, 1, 5: nec dubitat, quin ego a te nutu hoc consequi possem, etiamsi *aedificaturus esses;* nunc vero, si audierit, te aedificationem deposuisse etc.

Att. XI, 15, 2: cuius peccati si socios *essem habiturus* † ego, quos putavi, tamen esset ea consolatio tenuis.

Hoc quoque exemplum huc refero atque vertendum esse censeo: och om jag ock skulle hafva l. få dem till kamrater; huic sumptioni contraria est haec affirmatio: at non habebo, non est mihi sperandum, me eos socios esse habiturum. Quae quidem affirmatio optime convenit rerum ordini, qualis ex ipsarum epistolarum narratione elucet. In epistola enim proxime antecedenti, quae paullo ante hanc epistolam scripta est, scriptum legimus, eos ipsos homines, quos sibi socios futuros speraverat Cicero, omnes in Africam dici navigaturos sc. ad bellum contra Caesarem renovandum. (Cfr. ad sententiam Fam. IV, 7, 3.). Quae quum ita sint, Moserum credo minus recte interpretatum esse nostrum exemplum, quum vertat: und hätte ich auch etc., ex qua interpretandi ratione apparet, eum nullum hic sensisse discrimen inter »haberet» et »habiturus esset». Postremo, quod ad scripturam huius loci attinet, est adnotandum, illud »ego» valde ineptum locum tenere atque aut in »eos» cum Corrad. mutandum aut post »quos» ponendum.

In exemplis jam allatis conj. impf. fut. periphr. indicat, sumptam rem futuram non esse, quod autem nunc afferam exemplum, in eo agitur de eo, quod praeterito tempore futurum non erat. Ex. est

Or. Phil. VI § 2: quo quidem tempore, etiam si ille dies vitae finem mihi *adlaturus esset*, satis magnum ceperam fructum, quum vos universi una mente etc.

Sumptioni: *etiam si adlaturus esset* contraria est haec affirmatio: at non erat adlaturus ɔ: non mihi fatum erat illum diem vitae finem mihi adferre.

In apodosi legitur conj. imperf. fut. periphr. nusquam, conj. *plusquamperfecti* fut. periphr. uno loco:

Divin. II § 21: etiam si obtemperasset auspiciis, idem *eventurum fuisset.*

Praeter Klotzium etiam Baiterus et Muellerus legunt: *eventurum fuisset.* Madvigius (op. acad. alt. pg. 230): *eventurum fuit.* Per priorem formam magis indicatur, fatum immutatum remansurum fuisse, per alteram autem pressius urguetur, vere fatum fuisse hoc evenire etiam hac condicione: illud fati *immutabilitatem,* hoc *veritatem* eius disertius exprimit. Atque immutabilitatem et constantiam fati esse, de qua hic maxime agatur, satis indicant quum verba proxima: *mutari enim fata non possunt,* tum huius loci sermonis perpetuitas. Cicero enim hoc sibi demonstrandum proposuit, fatum nulla nostra cura et opera mutari et flecti posse. Atque haec fati certa et constituta constantia optime et planissime exprimitur apodosi illa: idem eventurum fuisset. Nullam igitur causam invenio cum Madvigio lectionis omnium codicum auctoritate commendatae mutandae.

Reliquae conjunctiones concessivae, a quibus inferuntur sententiae conjunctivo fut. periphr. utentes, sunt: *quum, quamquam* (semel), *quamvis* (semel).

Quum concessivum.

Duplex est usus conj. fut. periphr. in sententiis a *quum* proficiscentibus distinguendus: aut enim profertur sententia concessiva nulli subjecta condicioni aut apodosin efficit hypotheticam.

I. Sententia concessiva nulli subjecta condicioni est.

Conj. *imperfecti* fut. periphr. objectiva futuri vi praeditus legitur

or. pro Cluent. § 72: hoc addit testimonii, sua illum sententia, quum palam omnes *laturi essent,* condemnatum iri.

Rerum ordo, de quibus agitur, hic est. Oppianicus vitricus a Cluentio de veneficio accusatus et de salute sua et fortunarum desperans C. Aelio Staieno, judici nummario, pecuniam grandem ad judicium corrumpendum dat. Quae pecunia simul atque ad eum delata est, homo impurissimus hoc consilii capit, ut pecuniam quibusdam judicibus levissimis polliceatur, deinde eam postea supprimat. Quod ut fieri posset, nihil sua magis interesse putabat quam damnari Oppianicum: damnato enim neminem pecuniam esse repetiturum. Damnationem autem sic parat. Pecunia quibusdam promissa quum unus et alter dies intercessisset neque quisquam sequester et confirmator pecuniae exsisteret, res parum certa videbatur. Bulbus, unus ex corruptis judicibus, per quem cum reliquis egerat, ad hominem venit atque quaeri dicit, ubi sit pecunia. Tum adseverat, sese ab Oppianico destitutum nullam accepisse pecuniam judicibus distribuendam atque hoc addit testimonii, sua illum sententia etc. Hoc modo effecit, ut omnes hi judices tamquam ab Oppianico decepti ira in eum incenderentur atque sine ulla dubitatione eum damnare constituerent.

Quae quum ita sint, quum haec sit rerum cohaerentia, quaeritur, quomodo hoc sit exemplum explicandum: *quum palam omnes laturi essent* sc. sententias. Ac primum quidem id credo esse apertum inter hanc sententiam eiusque primariam enuntiationem contrarii rationem intercedere atque *quum* particulae concessivam vim esse tribuendam. Concessiva autem huius particulae vis quum sit: då dock, ehuru, änskönt, fastän, sequitur, ut per hanc particulam verum aliquid et certum inducatur.

Deinde suspicor illud, quod Staienus pro vero et certo posuerit, palam sententias latum iri, ita esse explicandum, ut putemus, hanc rem Oppianico cum Staieno convenisse, ut Oppianicus pro jure et potestate sua ut reus postularet, sententias palam ferri. Quod quidem re vera factum esse, in paragrapho 75 ostenditur: consurgitur in consilium, quum sententias Oppianicus, quae tum erat potestas, palam ferri velle dixisset, ut Staienus scire posset, quid cuique deberetur.

Vertendum igitur censeo nostrum exemplum: han bifogar detta såsom bevis derpå, sc. se ab Oppianico destitutum nullam accepisse pecuniam, att, ehuru alla skulle (komme att) afgifva sina röster öppet, han dock genom sin röst skulle fälla honom.

Concessivum sive potius adversativum esse videtur etiam illud *quum*, quod conjunctivus *plusquamperfecti* fut. periphr. voluntatis et consilii vi praeditus sequitur in or. Phil. III § 24: ac ne sine causa videretur edixisse, ut senatus adesset, quum de re publica *relaturus fuisset*, adlato nuntio de legione quarta mente concidit, et fugere festinans senatus consultum de supplicatione per discessionem fecit, quum id factum esset antea numquam.

In hoc ex. videtur sententia: *quum de republica relaturus fuisset* opponi verbis sequentibus: *senatus consultum de supplicatione per discessionem fecit.*

II. Ex condicione aliqua pendet id, quod enuntiatur sententia concessiva.

Genus objectivum.

Conj. *plusquamperfecti* fut. periphr. particulam, quae est *quum*, uno loco sequitur, in quo sententia concessiva eiusque protasis hypothetica in orationem rectam et non pendentem mutatae formam accipiant periodi hypotheticae eius generis, quod objectivum vocant. Est

Fam. XIII, 10, 3: videor mihi, quum separatim de probitate eius *dicturus fuissem*, si prius causam cur eum diligerem tibi exposuissem, in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse.

Si primum verbum regens omittimus atque illam concessivam rationem exprimimus duabus sententiis primariis, hoc modo sese habebit nostrum exemplum: *separatim quidem de probitate eius dicturus fui, si prius causam — exposuissem, sed in causa exponenda satis etiam de probitate mihi videor dixisse.* Deinde potest periodus hypothetica: *dicturus fui, si exposuissem* (in qua *exposuissem* conj. or. obliquae est) in oratione recta huic periodo respondere putari: *dicam, si prius exposuero.*

Conj. plusquamperfecti fut. periphr.: *dicturus fuissem* scriptus videtur esse ut ad praeteritum infinitivi: *dixisse* relatus neque or. recta tam *dicturus fueram* quam *dicturus fui* respondere. Nam hoc sibi Cicero dicere vult: dicturus quidem fui i. e. in animo quidem habui dicere separatim de eius probitate, sed cum videar mihi satis dixisse in ipsa causa exponenda de probitate, hoc consilium *abjicio.* Neque inde, quod nos pro propria significatione vertimus: jag *hade* tänkt, ärnat, est colligendum, hic de vero plusquamperfecto agi. Nostrum enim plusquamperfectum hic tantummodo ad consilium omissum indicandum pertinet neque veram *temporis* vim habet.

Genus irreale.

Conj. *imperfecti* fut. periphr. particulam, quae est *quum*, sequitur

Qu. fr. II, 14, 2: si, mi Quinte, parva aliqua res esset, in qua sciscitarere, quid vellem, tamen, quum tibi *permissurus essem,* ut faceres, quod velles, ego ipse quid vellem, ostenderem; ubi *permissurus essem* pro *permitterem* ut condicionalis I positum esse videtur.

Alterum est ex., in quo conj. imperfecti fut. periph. particulam concessivam *quum*

sequitur, eiusmodi comparatum, ut dubitari possit, hypothetice necne sint vertendi ii conj. periphrastici, qui in eo insunt. Est

Qu. fr. I, 1, 26: quumque id, quod dabatur, non *esset interiturum*, sed in ornamentis templi *futurum;*

ubi protasis nulla quidem scripta est, sed fortasse est audienda: *si acceptum esset*, qua protasi audita conj. imperf. fut. periph. pro condicionali II usurpatus est.

Conj. *perfecti* fut. periphr. pro condicionali II in sententia concessiva a *quum* incipiente bis legitur:

Sull. § 44: sed tamen abs te, Torquate, quaero, quum indicatus tuus esset inimicus et esset eius rei frequens senatus et recens memoria testis, tibi, meo familiari et contubernali, prius etiam *edituri* indicium *fuerint* scribae mei, si voluisses, quam in codicem rettulissent, quum videres aliter referri, cur tacuisti, passus es?

Particulam, quae est *quum*, h. l. concessivam vim habere, neque causalis generis esse, id quod Hoppe Richterum voluisse adnotavit [1]), mihi apertum esse videtur.

Tibi codd., Kayserus; *tibique* Muellerus.

Ac quum sine dubio ad *tibi* aliquid desideres, quo indicetur, huc quoque particulam *quum* pertinere, aut cum Muellero legendum suspicor: *tibique* aut: *quumque tibi* vel tale quid.

Fam. VII, 3, 6: sunt enim, qui, quum meus interitus nihil *fuerit* reipublicae *profuturus*, criminis loco putent esse, quod vivam.

Meus interitus = ego si interissem.

Quamquam.

Conjunctionem, quae est *quamquam*, conj. *imperf.* fut. periphr. objective usurpatus sequitur

Fam. X, 6, 2: me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipsi consilium deesset et fratris benevolentia tibi praesto *esset futura,* vellem tamen — — —;

ubi imperfectum pro praesenti per temporis, conjunctivus pro indicativo per modi attractionem positus est.

Quamvis.

Post particulam *quamvis* conj. fut. periphr. semel legitur et vero subjectiva vi. Est

de Re publ. IV, 1, 13: etenim si nemo est, quin emori malit quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem *sit habiturus*, quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? Quamvis sit habiturus ɔ: quamvis ei promissum sit, eum habiturum sc. si converteretur.

Enuntiationes comparativae purae.

In huiusmodi en. tantummodo conjunctivum *praes.* fut. periphr. usurpatum inveni. Conj. modo utitur en. comparativa aut per modi attractionem aut propterea, quod en. orationis obliquae secundaria est. Quod ad significationem formae periphrast. attinet, omnibus praeter

---

[1]) Zu den Fragm. etc. pag. 24.

unum locis objectiva fut. temporis vis in futuro periphr. inest. Objectivum enim futurum his locis nobis occurrit:

Fat. § 32: si omne futurum ex aeternitate verum est, ut ita certe eveniat, quemadmodum *sit futurum*, omnia necesse est conligatione naturali conserte contexteque fieri.

Conj. per modi attractionem positus atque »futurum sit« in oratione non pendenti indicat. praes. fut. periphr. respondet.

Particulam, quae est *quam*, conj. praes. fut. periphr. duobus locis sequitur:

Marcell. or. § 3: est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad omnes, quam ad ipsum *ventura sit*, laetitia pervenerit.

Or. Phil. VII § 17: Gracchorum potentiam majorem fuisse arbitramini quam huius gladiatoris *futura sit?*

Utroque hoc loco conj. periphr. in oratione libera indicativo *praesentis fut. periphr.* respondere potest ut oppositus praeteritis illis: pervenerit, fuisse.

A vocabulo *quantum* incipit en. comparativa

Verr. act. I § 41: nunc, quod eius modi judicia sint, tantum unum quemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, praetori, judicibus satis *futurum sit.*

In oratione obliqua a verbo, quod est *putant,* pendente haec en. comparativa posita est. Sed etiam in oratione libera haec sententia conjunctivo modo uti debet, quoniam ea res, quam continet sent. comparativa, e mente et cogitatione eius, de quo praedicatur sententia primaria, effertur. Nam in ex. allato potest sent. comparativa: *quantum — satis futurum sit* hoc modo circumscribi: quantum — satis futurum esse arbitretur. Cfr. verba proxime antecedentia: si enim judicia nulla sint, tantum unum quemque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur.

A vocabulo *qualis* infertur sent. comparativa:

Or. Phil. XIII, § 10: existimasne igitur, M. Lepide, qualem Pompeium res publica *habitura sit* civem, tales futuros in re publica Antonios?

Subjectiva illa futuri vi, qua quid ut fiat constitutum esse indicetur, praeditus est conj. praes. fut. periphr.

Fat. § 28: nec, si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur illico esse causas immutabiles easque aeternas, quae prohibeant quidquam secus cadere, atque *casurum sit.*

Enuntiationes hypothetico-comparativae.

Quae en. hypoth.-comparativae conjunctivo futuri periphrastico utuntur, a *quasi, ut si, aeque . . . ac si, tamquam* incipiunt. Ut satis constat, conjunctivi tempora in his sententiis ex temporibus sententiarum primariarum pendent. Nonnumquam tamen fieri potest, ut, quum sententia comparativa rem non veram contineat, conj. imperf. et plusquamperf. etiam post tempus principale adhibeatur. Plane idem observare licet in his, de quibus nunc agemus, exemplis. Quae quidem exempla quum cetera prae se ferant temporis consecutionem illam legitimam, unum est exemplum eiusmodi, ut indicativum praesentis sequatur imperfectum conj. fut. periphr. Est de Finn. IV § 65.

Prima partitio haec esse debet:

I. Sent. hypoth.—comparativa nulli condicioni est subjecta.

II. Sent. hypoth.—comparat. simul est apodosis hypothetica.

Quae ad prius genus pertinent exempla, in iis cernere licet tres illas formae periphr. significationes 1) futuri temporis, 2) voluntatis et consilii, 3) potestatis et facultatis. Alterius classis unum tantum ex. est.

I. Sent. hypoth.—comparativa nulli condicioni est subjecta.

1) Futuri temporis vis in forma periphrastica inest.

De Lege Agrar. or. II § 47: plane, quasi ea res vobis saluti *futura sit,* ita cogit atque imperat.

»Quasi futura sit» sumptionem rei non verae continet, cui contraria est haec affirmatio: at non erit.

De domo sua ad Pontif. or. § 31: qua re istam orationem omittas licet: post illam sententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos esse mutatos: proinde quasi isti aut de Cn. Pompeio aliter — sentiant aut quid mihi — faciendum fuerit ignorent aut etiam, si cuius forte pontificis animum — mea sententia offendit, alio modo *sit constituturus* aut de religione pontifex aut de re publica civis, quam eum aut caerimoniarum ius aut civitatis salus coëgerit.

Quasi sentiant, ignorent ɔ: at non sentiunt, non ignorant; quasi sit constituturus ɔ: at certe non constituet.

Qu. Cic. de pet. consul. § 2: ita paratus ad dicendum venito, quasi in singulis causis iudicium de omni ingenio *futurum sit.*

Finn. IV § 65: et catuli aeque caeci, prius quam dispexerunt, ac si ita *futuri* semper *essent.*

Aeque caeci sc. sunt. *Impf.* conj. fut. periphr. post *tempus praesens* sent. primar. apertius indicat sumptam rem veram non esse.

Lael. § 59: negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri quam eius, qui dixisset ita amare oportere, ut si aliquando *esset osurus.*

Cato M. § 82: sed nescio quomodo animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique *victurus esset* ɔ: quasi divinaret l. -asset — se victurum esse.

Eodem modo, quo in hoc, quod extremum laudavi, exemplo conjunctivus sententiae comparativae positus esse videtur

Verr. IV § 49: neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando *esset redditurus,* sed prorsus ita, quasi aut reus numquam *esset futurus* aut, quo plura abstulisset, eo minore periculo in judicium *venturus esset.*

Duae in hoc ex. leguntur sententiae comparativae, quarum posterior videtur ita esse explicanda, ut pro sententia secundaria or. obliquae habeatur. Quasi aut — esset futurus aut — venturus esset ɔ: quasi putaret aut reum numquam se esse futurum aut quo plura abstulisset eo minore periculo in judicium venturum esse.

In priore autem sententia comparativa: tamquam rationem aliquando esset redditurus forma periphrastica significationem consilii prae se fert ɔ: som om han tänkte att en gång afgifva räkenskap.

2) Forma periphrastica significat, aliquem in animo habere aliquid facere.

Verr. II § 183: omitto de melle, sed tantum Melitensium (sc. quo tibi opus fuerit quaero), quasi etiam amicorum uxores — *ornaturus esses.*

3) De eo, qui facultatem habet aliquid facere positum est fut. periphr.

or. pro Cluent. § 187: Stratonem — in crucem esse actum exsecta scitote lingua —. Timuit mulier amens non suam conscientiam, non odium municipum, non famam omnium, sed,

quasi non omnes eius sceleris testes *essent futuri*, sic metuit, ne condemnaretur extrema servuli voce morientis.

Aptissimum mihi esse videtur sententiam comparat. ita explicare: liks. om icke alla vore i stånd att vara vitnen på hennes brott ɔ: quasi non omnes eius scelus testari possent. Alia etiam explicandi ratio cogitari potest, ea, qua obj. futuri temporis vis formae periphrast. tribuatur: liks. om icke alla skulle, komme att vara vitnen på hennes brott, cui sumptioni quum haec affirmatio contraria sit: at omnes testes erunt, omnes testabuntur, nimirum minus aptum est ita vertere. Neque enim id affirmare potest defensor Cluentii, omnes esse testes prodituros sceleris Sassiae, sed omnes testes, si opus sit, citari *posse*.

II. Sent. hypoth. — comparativa simul apodosis hypothetica.

Quod unum ex. hic afferre possum legitur

Inv. II § 3: itaque, tamquam ceteris non *sit habitura*, quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi muneratur (natura).

Sent.: *tamquam non sit habitura* apodosis est sent. hypoth.: *si—concesserit*, qua quid sumitur possibile illud quidem sed incertum.

Enuntiationes causales.

Quae en. causales conjunctivo fut. periphr. habent id, quod sententia praedicatur, expressum, eae a *quum*, *quod*, *quia*, *quoniam* incipiunt.

En. a *quum* incipientes causali.

Hic quoque prima partitio exemplorum, quae huc pertinent, haec erit:

I. Sent. causalis nulli obnoxia est condicioni.

II. Sent. causalis ex condicione pendet.

Quae ad prius genus pertinent exempla, in iis forma periphrastica varias significationes habet. Significat enim a) aliquem esse paratum aliquid facere; b) aliquid ut fiat esse constitutum ita, ut aut α) fiat necesse sit l. oporteat aut β) ut fiat, tantummodo exspectari possit; c) objective tempus futurum.

I. Sent. causalis nulli obnoxia est condicioni.

a) Aliquem esse paratum aliquid facere.

Pro Cluent. or. § 187: quaero abs te, Oppianice, servo tuo Nicostrato quid factum esse dicas: quem tu, quum hunc brevi tempore *accusaturus esses*, Romam deducere — debuisti.

Conj. imperf. fut. periphr. eodem modo usurpatum est

Off. III § 110: cur igitur ad senatum proficiscebatur, quum praesertim de captivis *dissuasurus esset?*

b α) Aliquid ut fiat esse constitutum ita, ut fiat necesse sit vel oporteat.

Hanc vim fortasse habet conj. praesentis fut. periphr.

ad. Qu. fr. I, 3, 7: quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi vero nunc me non tuae facultates sustineant, qua in re ipsa video miser et sentio quid sceleris admiserim, quum de visceribus tuis et filii tui *satisfacturus sis* quibus debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim.

Satisfacturus sis ɔ: coactus sis satisfacere?

Etsi difficile est statuere, quam significationem *satisfacturus sis* addas oporteat, quoniam ipsa res, de qua hic agitur, prorsus ignota est tenebrisque obducta, tamen mihi sensus postulare videtur, ut vertatur: är nödsakad, måste tillfredsställa. Tantopere enim inter se opponuntur »satisfacturus sis» et »ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim», ut hoc alterius causa esse videatur alterumque creare.

Conj. perf. fut. periphr. hac vi praediti exemplum habes

de Oratore I § 239: quaero igitur, quid adjuverit oratorem in his causis juris scientia, quum hic juris consultus superior *fuerit discessurus*, qui esset non suo artificio, sed alieno — sustentatus.

In forma periphrastica perfectum *fuerit* perf. logici vim habet: har varit, *discessurus* autem proprie significat: constitutus ut discederet. Proprie igitur est: constitutus fuerit ut discederet sc. propter ambiguitatem juris harum causarum. Hoc autem: constitutus fuerit ut discederet propter loci sententiam eam vim habet, ut idem fere sit ac: necesse fuerit ut discederet.

Tertium est ex., quod haud scio an huc referendum sit:

Legg. II § 25: cur eam (sc. paupertatem) sumptu ad sacra addito deorum aditu arceamus? praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum *futurum sit* quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Nihil minus gratum futurum sit ɔ: nihil minus gratum esse oporteat l. debeat.

Ratio in natura ipsius rei (arcendi homines a cultu deorum) posita.

b β) Aliquid ut fieret exspectari potuisse significare videtur conjunctivus impf. fut. periphr.

Fam. VII, 2, 3: ille (Clodius), quum omnis res publica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectavit sc. quum me ejiceret.

c) Objectiva futuri temporis vis in forma periphrastica inest.

Tria hic distinguenda sunt exemplorum genera. Conjunctivus fut. periphr. respondet enim [1]) 1) indicativo praesentis fut. periphr. 2) futuro simplici 3) utrique tempori et praesenti fut. periphr. et futuro simplici.

1) N. D. III § 14: quid igitur juvat aut quid affert ad cavendum scire aliquid futurum, quum id certe *futurum sit*.

Qui haec verba una cum iis, quae in hac paragrapho praecedunt, legit, ei sole clarius erit, conjunctivum *futurum sit* in sententia indicativum modum postulante »futurum est» respondere et objectivam futuri temporis vim habere.

Fam. III, 12, 2: non vereor, ne tu parum perspicias ea, quae gesta sunt, ab aliis esse gesta, quibus ego ita mandaram, ut, quum tam longe *afuturus essem*, ad me ne referrent, agerent, quod probassent.

In hoc ex. dubitari licet, utrum objective positum futurum periphr. an de ratione cogitandum sit, qua re futurum sit. Ratio nimirum in eo posita, quod Ciceroni Cilicia pro consule regenda obtigerat. Si objective positum accipitur futurum periphr., indicativo praes. fut. periphr., non futuro simplici in oratione non pendente respondet. Or. recta hoc modo sese habet: *quum tam longe afuturus sim, ad me ne retuleritis*, ubi part., quae est *quum*, haud scio an adhibita sit pro *quoniam*, qua pro *quum* part. posita sent. causalis hanc formam accipere debet: *quoniam afuturus sum*, non: *abero*, nam id, quod continet sententia causalis, per se enuntiatur a tempore praesenti spectatum.

---

[1]) Cfr. praef.

Pro P. Quinctio or. § 8: nam quid — indignius — dici — potest, quam me, qui caput alterius — defendam, priore loco causam dicere, quum praesertim Q. Hortensius, qui partes accusatoris obtinet, contra me *sit dicturus?*

Ibdm. § 77: cogitabam: quum contra *dicturus esset* Hortensius et quum me *esset* attente *auditurus* Philippus, fore uti — timore prolaberer.

Orat. § 171: praesertim quum *dicturus* non *sim.*

2) Catil. II § 24: o bellum magno opere pertimescendum, quum hanc *sit habiturus* Catilina scortorum cohortem praetoriam sc. tum, quum bellum eruperit.

Or. Phil. VII § 18: parumne erunt multi? praesertim quum bonorum praesidia discesserint, illi parati *sint* ad nutum *futuri?*

Fam. V, 18, 2: tu vero, qui liberos habeas et nos — tecum conjunctissimos, quumque magnam facultatem *sis habiturus* nobiscum et cum omnibus tuis vivendi, - - - - omnibus his de causis debes istam molestiam quam levissime ferre.

Quae molestia? Exsilii, credo. *Sis habiturus* sc. tum, quum in eum locum veneris, ubi exsulabis.

Divin. in Caecilium § 49: jam hoc considerate, cuius modi accusatores simus habituri, quum ipse Alienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum *detracturus sit* sc. tum, quum judicium erit.

3) Divin. I § 131: cum animi hominum semper fuerint *futurique sint.*

Att. VIII, 12 C 1 (Pomp.): quum ille magnas copias habeat et maiores brevi *habiturus sit.*

II. Enuntiatio causalis ex condicione pendet.

Ad *genus objectivum* pertinent duo exempla conj. praes. fut. periphr. obj. futuri temporis vi praediti, quorum alterum id habet proprium, quod cum conjunctivo praes. fut. periphr. copulatus est conj. praesentis ut conj. fut. simplicis. Est

ad Qu. fr. III, 1, 11: miror tibi placere me ad eam (sc. Calventii Marii orationem) rescribere, praesertim quum illam nemo *lecturus sit,* si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes tamquam dictata *perdiscant.*

Verbum, quod est *perdiscere,* quum participio futuri careat, Cicero conjunctivum praes. pro conjunctivo futuri simplicis adhibuit neque ad illam circumscribendi rationem, quam statuunt grammatici nonnulli, confugit: *futurum sit, ut* perdiscant, quae locutio omnino a Cicerone aliena est praeter unum locum, ubi tamen nulla, qualis hic esset, circumscribens oratio est. [1])

Alterum exemplum legitur

ad Qu. fr. II, 15, 1: sed haec — ferenda sunt — — —, praesertim quum, si id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem *sim collecturus.*

Ad *genus potentiale* pertinent quattuor ex. conj. praes. fut. periphr.:

Leg. Agr. or. II § 30: atque hoc quum in eo reprehendendum est, quod per tribunum plebis tribunicia potestas minuitur, tum in eo deridendum, quod consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: huic, cui vetat intercedi, potestatem, etiam si intercessum sit, tamen eandem constituit quam si lata esset lex, ut non intelligam qua re aut

[1]) Cfr. pag. 37.

hic vetet intercedere aut quemquam intercessurum putet, quum intercessio stultitiam intercessoris *significatura sit*, non rem *impeditura*.

Sic Klotzius; Kayserus: huic, cui vetat intercedere; Muellerus: hic cui vetat intercedere, ei potestatem etc.; codd.: huic, cui vetat intercedendi — — —

Primum credo, nullam esse causam, cur a codicum lectione: *huic cui* abeamus. Apertum enim mihi videtur esse, vocabula »consuli« et »huic« inter se opponi, id quod fieri non potest, si *hic* legitur, quod nimirum de Rullo, non de decemviro creato dictum est intelligendum. Deinde, utrum *intercedi* an *intercedere* scribendum, nihil ad rem. Potest enim aeque bene ex uno atque ex altero codicum illud *intercedendi* esse perverse fictum, cujus rei praeter vocabulum sequens »potestatem« aliquid in causa esse potuit eadem locutio paulo ante scripta: (adimit) *intercedendi potestatem*. Puto igitur scribendum: *huic cui vetat intercedere* l. *intercedi*. Neque tamen his ita confirmatis omnia in hoc ex. sarta tectaque sunt. Restant verba: *qua re aut hic vetet intercedere aut quemquam* etc., quae mihi minime ita, ut vulgo leguntur, arrident. Suspicor esse legendum: qua re aut *huic* vetet intercedere aut quemquam intercessurum putet. Mihi enim minus opus esse videtur minusque aptum pronomen, quod est *hic*, in verbis tam prope inter se sequentibus de variis hominibus usurpari. Accedit, quod, ni fallor, in ipsa verborum collocatione aliquid est, in quo offendamus: *aut hic — aut quemquam*, velut si quid intercederet oppositi inter *hic* et *quemquam*. Potius tum desideres: qua re hic aut etc. Haec de scriptura.

Quod ad significationem formae periphrasticae attinet, aliter atque ego feci interpretatus est nostrum ex. Kühnerus (Ausf. Gr. § 205, 1), quum dicat, conj. »significatura sit« esse conj. *fut.* Quod quominus assentiar, obstant ea, quae praecedunt: *non intelligo, qua re quemquam intercessurum putet,* unde sequitur, ut Cicero credat neminem esse intercessurum. Qui ita sentit, eius sumptionem, quae substantivo *intercessio* continetur, magis consentaneum est ita accipere, ut sit: si intercedat, -cesserit, non: -cedet, -cesserit (fut. ex.).

Off. III: 93: promisisse nollem — — —; quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, quam si ceperit, nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut vel saltare, cum patriae *consulturus sit,* turpe non sit.

Protasis est intelligenda: saltando vel: si saltet.

Fam. III, 9, 3: nam profecto non est meum, qui in scribendo, ut soles admirari, tantum industriae ponam, committere, ut negligens in scribendo fuisse videar, praesertim quum id non modo negligentis, sed etiam ingrati animi crimen *futurum sit.*

Id = si in scribendo ad te negligens fuerim l. fuisse videar.

Fam. VI, 4, 4: si jam vocer ad exitum vitae, non ab ea re publica avellar, qua carendum esse doleam, praesertim quum id sine ullo sensu *futurum sit.*

Postremo afferam

Sex. Rosc. Am. § 47: verum homines notos sumere odiosum est, quum et illud incertum sit, velintne hi sese nominari, et nemo vobis magis notus *futurus sit* quam est hic Eutychus.

In quo ex. dubium esse potest, utrum objective an potentialiter positum sit illud *futurus sit.*

Pro *condicionali II* usurpatus est conjunctivus *imperfecti* fut. periphr.

Inv. II §§ 73 et 76: quum omnes *perituri* milites *essent,* nisi ad hanc pactionem venissent etc.

Quod causale et explicativum.

I. Sententia causalis vel explicativa nulla profertur condicione.

a) De eo, qui aliquid in animo habet facere.

Verr. IV § 145: cum accusatore tuo satis justam causam conjungendae necessitudinis putant (Syracusani), quod te *accusaturus sit.*

Conj. utitur en. explicativa ut obliquam sententiam continens.

Fam. XI, 2, 3 (Brut. et Cass.): illud valde leve est ac nugatorium, ea re denuntiatum esse veteranis (ɔ: veteranos adesse jussos), quod de commodis eorum mense Junio *laturus esses.*

Conj. nimirum est conj. orat. obliquae atque imperfectum sequitur praeteritum infinitivi: *denuntiatum esse*, quum nos in vertendo praesenti tempore utamur, id quod propterea fieri potest, quod etiamtum, quum epistola scribebatur, legis latio impendebat.

b) De sorte et condicione alicujus sive de eo, quod alicui tributum est, ut patiatur.

Tusc. Disp. III § 57: (de honore contemnendo agitur) nec siletur illud potentissimi regis anapaestum, qui laudat senem et fortunatum esse dicit, quod inglorius *sit* atque ignobilis ad supremum diem *perventurus.*

Per conj. oblique profertur sententia causalis atque *perventurus sit* videtur esse ortum ex: *perventurus est*, non: *perveniet: quod perventurus sit* ɔ: quod sors eius sit pervenire, quod ea ei sors a fortuna sit tributa, ut perveniat.

c) Obj. fut. temporis vi praedita est forma periphrastica.

Pro M. Marcello or. § 10: parietes — huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore *futura sit* illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus.

Illa auctoritas = Marcelli restituti auctoritas.

Objective etiam videtur conj. praes. fut. periphr. positus in sententia a »non quod« incipiente

Att. XI, 14, 2: velim ad me, quid tibi responderint, scribas, non quod ab isto salus data quidquam *habitura sit* firmitudinis, sed tamen aliquid consuli et prospici poterit.

Potest tamen hic conj. fut. etiam ita accipi, ut sit de eo, quod ut fiat exspectari potest, vel de eo, quod fieri potest ɔ: nihil quidem habebit vel propter statum ipsius Caesaris (cfr. ep. sequent.) habitura est, habere poterit firmitudinis salus ab isto data.

Conj. *impf.* fut. periphr. in or. obl. objective usurpatus est quattuor locis:

Sest. or. § 20: mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod *habiturus essem* contra tribunum plebis furiosum et audacem — fortem et gravem consulem. Or. recta: tibi gratulamur, quod habebis (sc. Pisonem, quum consulatum inierit) fortem consulem.

Fam. V, 21, 4: sed, ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc — funditus eversam fortunam fortiter ferre debemus, ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum *esset habitura*, nunc sic affecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare.

Conj. modo videtur sent. causalis uti ut oblique dicta. Quod ad tempus autem attinet, haud scio, an haec sententia causalis: *propterea quod—habitura esset* universalem vim habeat. Quod si ita sit, tum imperf. pro praes. positum ut relatum ad imperf. *debebamus* sent. antecedentis relativae, quod quidem imperf., etiam si ad praes. tempus spectet, mimirum imperf. conj. regere potest. Ad praesens autem spectat, si vocabulum: »beati« sit: si beati essemus. Sed quum id, quod opponitur vocabulis: *etiam beati* his verbis expressum sit: *nunc sic affecti*, mihi probabilius esse videtur, sent.: *quam etiam beati contemnere debebamus* esse idem ac: quam etiam quum beati essemus contemnere debebamus.

Att. II, 1, 5: neque magno opere dixi esse nobis laborandum, quod nihilo magis ei *liciturum esset* plebeio rem publicam perdere, quam similibus eius me consule patriciis esset licitum. Or. recta: quod nihilo magis ei licebit — quam — licuit.

Att. VIII, 11 D 3: cum nec mihi nec fratri meo dubium esset quia Brundisium contenderemus, a multis — admoniti sumus, ut caveremus ne exciperemur a Caesare, quod is in eadem loca profectus celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo intenderet, *venturus esset*. Or. recta: cavete ne excipiamini a Caesare, quod is — celerius etiam, quam vos poteritis, eo, quo intendit, veniet.

II. Sent. a *quod* incipiens condicioni subjecta.

Huius rei unum tantum ex. inveni:

Off. III, § 93: si qui sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium milies relinquatur, ut, ante quam hereditatem adeat, luci palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter heredem eum *scripturus* ille non *esset*, faciat, quod promiserit, necne?

Scripturus esset pro conjunctivo condicionalis II: *scripsisset* haberi potest: sumptio in adverbio *liter* latet ɔ: nisi id promisisset.

Quia.

Cato M. § 78: sic persuasi mihi, sic sentio — — — — cum semper agitetur animus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse *sit relicturus*.

Or. recta: animus ne finem quidem *habebit* motus, quia numquam se ipse *relinquet*. Hoppe, zu den Frgm. pg. 20, cernit in hoc futuro periphrastico significationem voluntatis. Quod haud scio, an minus recte statuatur. Nam h. l. apertum est agi de eo, quod re vera futurum sit, non de eo, quod quis fieri velit, quoniam inde, quod animus numquam se relinquere velit, non sequitur, ut hoc re vera futurum sit.

Quoniam.

A particula, quae est *quoniam*, tribus locis sententia infertur causalis, cuius praedicatum, quod vocant, conj. fut. periphr. expressum sit.

Conj. modo utitur sent. causalis ut en. secundaria or. obl.; in futuro periphrastico obj. futuri temporis vis inesse videtur.

Conj. *praes.* fut. periphr.:

Pet. Consul. § 38: hoc tu plane ab iis postulato, ut, quoniam — per te alii rem, alii honestatem, alii salutem ac fortunas omnes obtinuerint nec aliud ullum tempus *futurum sit*, ubi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerentur. Or. recta: quoniam per me obtinuistis nec aliud ullum tempus futurum est l. erit etc.

Conj. *impf.* fut. periphr.:

Verr. I § 69: tum cives Romani — —: sese intelligere hominem illum esse impurum ac nefarium, sed quoniam nec perfecisset quod conatus esset neque *futurus esset* Lampsaci postea, levius eorum peccatum fore, si homini scelerato pepercissent quam si legato non pepercissent. Or. recta: quoniam nec perfecit quod conatus est neque futurus est l. erit Lampsaci posthac, levius vestrum peccatum erit etc.

Mil. § 82: hoc animo semper omnes fuimus in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra *futura esset* gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Or. rect.: quoniam nostra futura est l. erit gloria, periculum quoque et invidia nostra.

Enuntiationes temporis.

Enuntiationum temporis tantum eae, quae part. *quum* inferuntur, conjunctivum fut. periphr. habent. Hoc *quum* aut illud temporale, quod proprie vereque dicitur, est aut *quum* historicum, quod vocant. Tempora conjugationis periphrast., quae in his sententiis adhibentur, sunt praesens et imperfectum. Forma periphrastica significat 1) aliquem in animo habere aliquid facere, 2) aliquid in eo esse, ut fiat vel aliquem jamjam esse paratum aliquid facere, 3) aliquid esse ut fiat aliqua re constitutum, 4) aliquid vere esse futurum.

1) Aliquem in animo habere aliquid facere.

Conj. *imperfecti* futuri periphrast.

Offic. III § 66: ut, quum in arce augurium augures *acturi essent* jussissentque Ti. Claudium — demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripsit insulam.

Quum historicum sequitur hoc tempus hac vi praeditum etiam

Att. X, 2, 1: ego quum accepissem tuas litteras Nonis Aprilibus — *essemque* Minturnis postridie *mansurus*, ut inde protinus, sustinui me in Arcano fratris.

Eodem die, quo acceperat epistolam Attici, quum ad eam responderet, sequitur, ut praeterita hujus exempli ad id genus praeteritorum pertineant, quae propria sunt epistolarum scribendi generis, atque a nobis reddenda sint temporibus praesentibus: hodie (Nonis Aprilibus) quum *accepi* tuas litteras — *sumque* Minturnis cras *mansurus*, — *sustineo* me in Arcano fratris.

Tertium est ex. conj. imperf. fut. periphr. in sententia a *quum* incipiente, in quo futurum periphr. fortasse hanc de qua agitur vim habeat. Exemplum legitur pro P. Quinct. or. § 77. In hac paragrapho narrat Cicero, se diu multumque dubitasse, num causam P. Quinctii defendendam susciperet, atque Q. Roscio, propinquo eius, a se vehementer petenti, ut propinquum suum defenderet, excusandi causa respondisse:

»mihi videri (sc. dixi ei) ore durissimo esse, qui praesente eo gestum agere conaretur: qui vero cum ipso contenderent, eos, etiam si quid antea recti aut venusti habere visi sunt, id amittere: ne quid mihi eiusmodi accideret, quum contra talem artificem *dicturus essem* (sc. qualis esset Hortensius), me vereri.»

In hoc ex. non admodum certum et apertum esse videtur, cuius generis sit part. *quum*, utrum causalis an temporalis part. sit. Pro sententia causali si habeatur haec sententia, condicioni alicui verbis non expressae: *si causam suscepissem* simileve aliquid subjecta videtur. Neque tamen minus veri simile mihi videtur *quum* pro temporali part. esse accipiendum. Sed tum haec sententia temporalis propter loci sensum eam vim habet, ut sententia hypothetica mutari possit, et vero eiusmodi sent. hypothetica, qua quid sumatur, quod futurum non sit: *si dicturus essem* ɔ: at dicturus non sum. In hac hypothetico-temporali sententia futurum periphrasticum aut objectivam futuri temporis vim habere potest: då l. om jag komme att uppträda aut voluntatis et consilii ɔ: quum l. si tam arrogans essem, ut contra talem artificem dicere *vellem*.

De part. *quum* pro *si* in condicionaliter hypotheticis sententiis cfr. Lattm.—Müller. § 175, 2 adn. 10, ubi quattuor huius rei afferuntur ex., inter quae id, quod primo loco allatum est, sine dubio huc non pertinet: Brut. 134, qui locus, quum ita sese habeat: (Catulus) erat talis,

ut, cum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior, cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres; in grammatica Lattm.—Mülleri ita citatur: quum ipsum *audires* sine comparatione illorum, non modo contentus *esses*, sed melius non *quaereres*.

2) Aliquid in eo esse, ut fiat, vel aliquem jamjam esse paratum aliquid facere.

Rhetor. ad Herenn. I § 21: quum L. Saturninus legem frumentariam — *laturus esset*, Q. Caepio — docuit senatum aerarium pati non posse largitionem tantam.

Divin. II § 65: memini Sullam, quum in expeditionem *educturus esset*, immolavisse. Sic praeter Kl. etiam Muellerus; Baiterus contra codicum auctoritatem addidit: *exercitum* collectis iis, quae Div. I § 72 leguntur. Neque tamen inde, quod eo loco legitur: *in expeditionem exercitum educere*, colligi posse videtur, hic quoque idem esse legendum, quum, ut satis notum est, saepenumero verbum educendi absolute adhiberi soleat.

Off. I § 144: Ut, si qui, quum causam *sit acturus*, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur —, non reprehendatur.

In hoc ex. videtur tamen alia quoque explicandi ratio cogitari posse, ea scilicet, qua accipitur illa actio futura non tam pro actione statim futura quam pro aliqua, quam quis agere debet, utpote quam sibi susceperit agendam; suethice igitur aut: står i begrepp att utföra aut: har att utföra.

Att. V, 1, 4: narravit—illam—, quum *discessura esset*, fuisse eiusmodi, qualem ego vidissem.

3) Aliquid futurum ita, ut ad certam quandam rationem referatur, unde deducatur.

Fam. XII, 13, 1: (Cassius): et quae saepe pollicitus es te et taciturum, dum serviremus, et dicturum de me tum, quum mihi *profutura essent*, nunc illa non ego quidem dici tanto opere desiderabo quam sentiri a te ipso. Or. rect.: quae de te dicturus sum, ea et tacebo, dum servimus, et dicam de te tum, quum tibi *profutura erunt* i. e. quum tibi ea profutura esse certo sciam.

Brutus § 289: ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, quum Demosthenes *dicturus esset*, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent.

Hic ratio posita in eo, quod fama vel aliquo modo nuntiatum et cognitum erat, Demosthenem esse dicturum. *Quum* (= quotiens) *Demosthenes dicturus esset* ɔ: quum auditum esset Demosthenem esse dicturum. Cfr. § 290: volo hoc oratori contingat, ut *quum auditum sit eum esse dicturum*, locus in subselliis occupetur etc.; ubi pro verbis adhibitis: quum auditum sit eum esse dicturum scribi potuit: quum sit dicturus.

4) Futurum periphr. objective significat aliquid esse futurum.

De Imperio Cn. Pomp. § 17: ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, quum *essem* de belli genere *dicturus*.

Cum essem dicturus »als ich zu sprechen *begann*.« Halmius. Nusquam ego eiusmodi significationem part. fut. cum *esse* juncti inveni, quare valde dubito, num sit probanda. Equidem puto, sententiam: *quum essem dicturus* non tam indicare tempus propositionis factae quam ad ipsam propositionem pertinere, ita ut sibi proposuisse dicat Cicero, ut de hac re extrema non omnino orationis totius sed eius orationis partis, quae in belli genere versetur, diceret. Cfr. § 6, ubi dispositio orationis profertur. Sententiam igitur temporalem pro sententia or. obliquae secundaria habeo, cuius sententia primaria facile intelligitur: quod mihi

ego extremum proposueram, quum = quod mihi ego ut extremum tractarem proposueram, quum essem—dicturus. Or. recta: illud extremum tractabo, quum de belli genere dicturus sum l. dicam. Sed cum ea intercedat temporis ratio inter utramque sententiam, ut sent. temporalis actionem quandam durantem et futuram pronuntiet, in quam incidat id quod sent. profertur primaria, neque utraque actio plane eiusdem temporis sit, *conjunctivus periphrasticus* nimirum necessarius est.

Enuntiationes consecutivae.

In enuntiationibus consecutivis tantum conjunctivi *praesentis* futuri periphrastici exempla inveni. Sententia consecutiva aut nulli obnoxia est condicioni aut apodosin efficit hypotheticam.

I. Sententia consecutiva nulli obnoxia condicioni.

Quae huc pertinent exempla, in omnibus paene iis conjunctivus praes. fut. periphrastici objectivam futuri temporis vim habet.

Sex. Rosc. § 12: petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, judices, ut — hoc cogitetis, nisi in hac causa qui vester animus sit ostenderitis, eo prorumpere hominum cupiditatem et scelus et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro caedes *futurae sint.*

In Verr. act. I § 7: intelligit me ita paratum atque instructum in judicium venire, ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta atque flagitia *defixurus sim.*

De Lege Agr. or. I § 25: mihi deliberatum et constitutum est ita gerere consulatum —, ut neque provinciam neque honorem --- neque rem ullam, quae a tribuno plebis impediri possit, *appetiturus sim.*

Pro Marcello or. § 30: id autem etiam si tum ad te — non pertinebit, nunc certe pertinet esse te talem, ut tuas laudes *obscuratura* nulla umquam *sit* oblivio.

Or. Phil. VIII § 32: non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, ut aequo animo populus Romanus *visurus sit* nostri honoris insignia.

Or. Phil. IX § 11: hoc statuae monimento non eget (Ser. Sulpicius); habet alia majora: haec enim statua mortis honestae testis erit, illa memoria vitae gloriosae, ut hoc magis monimentum grati senatus quam clari viri *futurum sit.*

N. D. I § 53: docuit enim nos idem, qui cetera, — tam eam rem esse facilem — —, ut innumerabiles natura mundos *effectura sit,* efficiat, effecerit.

Div. I § 130: nam si obscurior quasi caliginosa stella exstiterit, pingue et concretum esse caelum (sc. conjecturam capiunt Cei), ut eius aspiratio gravis et pestilens *futura sit.*

Att. XIV, 11: sic alitur consuetudo perditarum concionum, ut nostri illi non heroes, sed di *futuri* quidem in gloria sempiterna *sint,* sed non sine invidia, ne sine periculo quidem.

Att. XV, 2, 1: quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil *sim habiturus* antiquius.

Ibdm 5, 3: Varro autem noster ad me epistolam misit — in qua scriptum erat, veteranos — improbissime loqui, ut magno periculo Romae *sint futuri,* qui ab eorum partibus dissentire videantur.

Att. XVI, 5, 2: sic enim est commutatus totus —, ut tali animo in rem publicam, quali nos volumus, *futurus sit.*

Ibdm 16, C. 12: res huiusmodi videtur esse, ut Plancus ipse pro ingenio et prudentia sua non *sit dubitaturus,* quin decretum — conservet.

Qu. fr. I, 1, 38: quoniam in eam rationem vitae nos — res ipsa — deduxit, ut sempiternus sermo de nobis *futurus sit.*

Fam. VI, 4, 1: hoc tempore ita magnae utrimque copiae, ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, ut, utercumque vicerit, non *sit* mirum *futurum.*

Fam. III, 1, 2: factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phaneam valde *sim desideraturus.*

Quae restringendi vis particulis: *ita tamen, ut* tribuenda est, eadem etiam cernitur in

Topic. § 72: quoniam haec ita ad te scribuntur, ut etiam in aliorum manus *sint ventura.*

»Sint ventura» pro conj. fut. simpl. haberi potest; potest tamen etiam fortasse consilii et voluntatis significatio in »sint ventura» inesse ɔ: (haec) venire velim; suethice: är ämnadt, bestämdt att komma.

Ambigue posita esse videtur forma periphrastica etiam

Off. III, § 85: cujus autem vita ipsi potest utilis esse, quum eius vitae ea condicio sit, ut qui illam eripuerit in maxima et gratia *futurus sit* et gloria?

»Futurus sit» aut objective positum aut de eo, quod futurum scit vel ut fiat exspectare potest is, de cuius vita agitur.

Postremo mihi afferendum est

Off. I, § 159: sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae quidem patriae causa sapiens *facturus sit;*

ubi illud *facturus sit* haud scio an conj. futuri simplicis praescribendi vi praediti sit: facere debeat. Quae quidem significatio in futuro simplici saepissime, in indicativo futuri periphrastici numquam inest. Atque hoc loco »facturus sit» futuro simplici: *faciet* illa significatione respondere ostendunt verba illa, quae paulo infra sequuntur: haec igitur non *suscipiet* rei publicae causa; ne res publica quidem pro se suscipi *volet.* Sed hoc commodius se res habet, quod non *potest accidere tempus, ut intersit* rei publicae quicquam illorum facere sapientem.

II. Enuntiatio consecutiva apodosis est hypothetica.

Hic quoque nobis occurrit tantummodo conjunctivus *praesentis* fut. periphr. Exemplorum, quae huc pertinent, tria ad genus objectivum, duo ad genus potentiale referenda sunt. Sextum quoque ex. huc pertinet, quod quomodo explicem, objective an potentialiter, incertus sum.

Genus objectivum.

Invent. II, § 77: qui locus ita communis est, ut bene tractatus in hac causa magno ad persuadendum momento *futurus sit.*

Bene tractatus = si bene tractatus erit.

Fat. § 17: ut in eo, qui mortifero morbo urgueatur, verum sit »Hic morietur hoc morbo», at hoc idem, si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus *futurum sit.*

Fam. XIII, 17, 3: spondeo — eos esse M'. Curii mores — —, ut eum et amicitia tua et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum *sis existimaturus.*

Genus potentiale.

Orator § 41: praeterea ad virtutem maior indoles (sc. in Isocrate est), ut minime mirum *futurum sit,* si, quum aetate processerit, — praestet omnibus, qui umquam orationes attigerunt.

In Plat. Phaedri § 279 graeca illa verba leguntur, quae in latinum hic convertit Cicero, et nostrum ex. graece sic se habet: (δοκεῖ μοι) ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστόν, προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ — διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων.

Or. Phil. V § 12: quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut, si hoc genus pecuniae in aerarium redigatur, non *sit* pecunia rei publicae *defutura.*

Verba: *si hoc genus pecuniae in aerarium redigatur* non leguntur in codicibus sed conjectura inventa. Codex enim optimus Philippicarum or. (V) habet: *hoc genus pene in unum redigatur,* ceteri codd.: *hoc genus in unum r.* Klotzii lectio composita est ex duabus conjecturis: *genus pecuniae,* quae est Ursini, et: *in aerarium,* quae est Orelli. Halmius (Or. II) conjecit: *ingens fenus,* quamquam in contextum id non recipit; Kayserus suspicatur legendum esse: *hoc genus rapinae,* quamquam ne ille quidem in contextum quidquam ex conjectura recepit. P. Ric. Muellerus: *hoc genus populi in usum redigatur,* quam conjecturam speciosam futuram, nisi vocabulum *genus* obstaret, quod probabilem sententiam nullam habeat, Halmius (l. c.) judicat. Fortasse legendum est.: si hoc genus pecuniae in *usum communem* redigatur. Hoc enim: *usum communem* non videtur admodum esse difficile eruere ex codicum: *in unum,* atque in »pene» latere illud ab Ursino conjectum: *pecuniae* facile adducor, ut credam.

Unum ex. restat, ut afferam,

Fam. X, 9, 2 (Plancus): sic honores praemiaque vestra suspicio, —, ut sine iis nihil de meo studio perseverantiaque *sim remissurus;*

ubi etiam conjunctivus periphrasticus hypothetice pendet. Condicio enim in: *sine iis* latet. Quae quidem condicio utrum objective an potentialiter proferenda sit, incertum esse videtur. Magis certum autem videtur esse, apodosin objectivam futuri temporis vim habere. In oratione non pendenti igitur aut: etiam si ea non adeptus ero, non remittam aut: etiam si ea non adeptus sim, non remittam. »Etiam si» scripsi, non: *nisi,* qua particula sententia plane inverteretur. Non igitur totum praepositionis *sine* cum nomine protasis loco positae usum comprehenderunt Lattm. et Müllerus, quum in artis suae § 175, 3 c. docent, particulam *sine* cum nomine protasis loco positam sententiae hypotheticae a *nisi* proficiscenti respondere.

Enuntiationes a quin incipientes.

Quae enuntiationes a *quin* proficiscentes conjunctivum futuri periphrastici habent, eae a locutionibus: *non dubito, non dubium est* [nemo dubitat, ne dubitaris, dubita, si potes (= dubitare non potes), an potest quisquam dubitare, cuiquam credo esse dubium, cui erat dubium], *num quid causae est* (semel) pendent.

Hic quoque duo illa exemplorum genera secernenda sunt.

I. Sententia a *quin* incipiens nulli obnoxia est condicioni.

Septem et viginti exempla huc referenda sunt, quorum duodeviginti eiusmodi sunt, in quorum forma periphrastica vera futuri temporis vis insit; unum exemplum voluntatis vim aperte prae se fert; septem locis dubium est, utrum futurum periphrasticum objective tempus futurum an consilium et voluntatem alicuius significet; in eo, quod restat, exemplo, quod a locutione: *num quid causae est* pendet, incertus sum, meram futuri temporis an facultatis et potestatis significationem cernam.

1) Futurum periphrasticum objective significat aliquid esse futurum.

Conjunctivus *praesentis* futuri periphrastici hac vi praeditus legitur

Att. VII, 3, 2: sed ne dubitaris, quin, quod honestius id mihi *futurum sit* antiquius. Hoppe, zu den Frgm. etc. pag. 22, vertit: soll. Sed mihi apertum esse videtur, ut omnino in his locis post non dubito, dubium non est, sic hoc quoque loco de rei futurae alicuius veritate, non necessitate agi. Quod si non esset, eodem jure cerneres necessitatis vim

Fam. III, 10, 3: plane dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo *futura sit;* ubi tamen Hoppe quoque: wird.

Att. VIII, 15, 2: de Lepido et Tullo quod quaeris, illi vero non dubitant, quin Caesari praesto *futuri* in senatumque *venturi sint.*

Att. IX, 7 A 2 (Balbus): et hoc non dubitamus quin Caesar pro sua humanitate maxime *sit probaturus.*

Att. IX, 10, 8 (Att.): interea non dubito, quin in Formiano *mansurus sis.*

Att. X, 10, 2 (Anton.): non dubito, quin *impetraturus sis.*

Att. XIV, 17, 5: non dubito, quin tu idem *existimaturus sis.*

Fam. VI, 12, 3: nec dubito, quin legente te has litteras confecta jam res *futura sit.*

Fam. VIII, 14, 2 (Caelius): non dubito, quin te quoque haec deliberatio *sit perturbatura.*

Fam. XI, 1, 5 (D. Brutus): non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me *sit facturus.*

Fam. XIII, 41, 2: mihi non est dubium quin, quum antea nostra causa, nunc jam etiam tuae constantiae gratia *mansurus sis* in eadem ista liberalitate.

Hoppe, l. c. pag. 22: willst. Sed opponitur nostrum futurum periphr. illi praeterito, quod ad »antea» audiendum est.

Qu. fr. III, 1, 13: nec dubito quin mihi *placitura sit* (sc. Erigone, tragoedia Qu. Ciceronis).

Conj. *imperfecti* futuri periphrastici objective usurpatus legitur his locis:

Att. I, 17, 2: non dubitabam, quin te ille — uspiam *visurus esset.*

Att. III, 6: non fuerat mihi dubium, quin te Tarenti aut Brundisii *visurus essem.*

Att. XIII, 45, 1: prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin ante eam diem *venturus esset.*

Fam. XII, 19, 1: jucundissimum mihi fuit, quod cognovi meas tibi (litteras) redditas esse; non enim dubitabam, quin eas libenter *lecturus esses*, verebar, ut redderentur.

Hoppe, l. c.,: wolltest. Nos quoque pro: »skulle» »ville» dicere possumus. Neque tamen inde est colligendum conjunctivum »lecturus esses» esse conj. non futuri simpl. sed futuri periphr. Nam si ita esset, pro: libenter lecturus esset scribi posset: libenter legere velles, in qua locutione nimirum adverbium, quod est *libenter*, ad *vellet* esset referendum. Hoc autem: *libenter velle* latine non dicitur.

Fam. XV, 12, 1: mihi numquam fuit dubium, quin te populus Romanus — summo studio, cunctis suffragiis consulem *facturus esset.*

Postremo mihi afferendum est

Qu. fr. I, 1, 1: etsi non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique *esset* ipsa sua celeritate *superatura* tuque ante ab aliis *auditurus esses* annum tertium accessisse —, tamen existimavi etc.;

ubi imperfectum pro praesenti legitur propter illud epistolarum proprium scribendi genus.

2) In forma periphrastica voluntatis vis inest.

Att. XVI, 15, 2: de hoc quid placeat, rescribas velim, nec dubito, quin hoc totum lenius *administraturus sis*.

3) Objectiva futuri temporis an voluntatis et consilii vis in forma periphr. insit, quaeri posse videtur his locis:

Conj. *praesentis* fut. periphr.

Att. V, 21, 2: nec dubitat Deiotarus, — quin cum omnibus copiis ipse (= rex Parthorum) prima aestate Euphraten *transiturus sit*.

Att. VIII, 7, 1: at nemo dubitat, quin subsidio *venturus sit*.

Att. XI, 12, 3: non dubito, quin is lenis in illum *futurus sit*.

Conj. *imperfecti* fut. periphr.

Verr. II, § 72: non dubitabat Minucius —, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam *quaesiturus* non *esset*.

Verr. III § 63: iste porro non dubitabat, quin is, qui alium antea studio adductus accusasset, sibi advenienti praesto *esset futurus*, cum esset parentis injuriis et domestico dolore commotus.

Att. VIII, 12, 3: praesertim quum — non dubitarim, quin is Domitio *subventurus esset*.

Att. XV, 12, 1: de nostris autem Antiatibus satis videbar plane scripsisse, ut non dubitares, quin *essent* otiosi *futuri usurique* beneficio Antonii contumelioso.

4) Unum exemplum eiusmodi est, cuius formae periphr. objectivam futuri temporis an facultatis vim tribuam incertus sim. Est

Leg. Agr. or. II § 40: num quid causae est, quin — totam denique Bithyniam decemviri *vendituri sint?*

Postremo mihi adnotandum est, ut apud alios scriptores, sic apud Ciceronem exempla non deesse, in quibus particulam, quae est *quin*, sequatur conjunctivus praesentis l. imperfecti simplicis pro conj. praesentis l. imperfecti futuri periphrastici. Pro exemplis afferam

or. post Red. ad Quir. hab. § 14: nec, si illa (= res publica) restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa *reduceret*.

ibdm § 15: an ego — dubitarem, quin is (= P. Lentulus) me — ad salutem *reduceret?*

II. Sententia a *quin* incipiens condicioni alicui subjecta est.

Tria illa genera periodorum hypotheticarum hic nobis occurrunt: genus objectivum, potentiale, irreale.

Genus objectivum.

Conj. *praesentis* futuri periphr. in apodosi legitur:

Fam. II, 17, 5: nunc mihi non est dubium, quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, *venturae* non *sint* (sc. legiones).

Fam. V, 7, 2: illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adjunxerunt, res publica nos inter nos *conciliatura conjuncturaque sit.*

Fam. VI, 1, 6: quod facere non debeo nec dubitare, quin aut aliqua re publica *sis* is *futurus,* qui esse debes, aut perdita non adflictiore condicione quam ceteri.

Condicio nimirum in: »aliqua re publica», »perdita» sc. republica latet.

Fam. XIII, 19, 3: quod si feceris, non dubito, quin in eo diligendo ceterisque postea commendando idem, quod ego, *sis* judicii et voluntatis *habiturus.*

Mil. § 11: non enim dubito, quin *probaturus sim* vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem interfici jure posse.

In locis jam allatis forma periphr. objectivam futuri temporis vim aperte prae se fert. Tria restant exempla huc pertinentia, in quibus quaeri posse videatur, utrum objectiva futuri temporis an voluntatis et consilii significatio sit statuenda, quamquam temporis illa significatio mihi magis placet. Ex. sunt:

Att. II, 15, 2: sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit eiusmodi, *sis advolaturus.*

Att. X, 10, 5: dubita, si potes, quin ille, seu victus seu victor redierit, caedem *facturus sit.*

Fam. XVI, 21, 7 (Cic. fil.): sed noli dubitare, mi Tiro, quin te *sublevaturus sim,* si modo fortuna me.

Conj. *imperfecti* fut. periphr.

Sest. § 43: cui denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores *esset habiturus.*

In verbis: *nullo praesertim publico consilio profusus* haud scio, an condicio lateat: praesertim si — profusus esset. Quod ad significationem formae periphrasticae: *habiturus esset* attinet, dubito, utrum meram futuri temporis significationem statuam an huic formae eam tribuam significationem, qua quid ab aliquo ut fiat constitutum esse pronuntietur.

Genus potentiale.

De Oratore I § 80: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo *futurus sit,* si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit.

Cato M. § 31: quod si sibi acciderit (sc. ut Nestoris similes habeat decem), non dubitat, quin brevi *sit* Troia *peritura.* Cfr. Hom. Il. II vv. 371—374, ubi in apodosi optativus cum κεν (= ἄν) positus est.

Tertium est exemplum, quod haud scio an huc referendum sit. Est

Fam. XII, 29, 2: nec dubito, quin sine mea commendatione — ipsius Lameae causa studiose omnia *facturus sis.*

Sine mea commendatione = etiam si (Lameam) non commendarim.

Cfr. Fam. X, 9, 2: sine iis. [1])

Genus irreale.

Omnium huc pertinentium exemplorum id est proprium, quod in sententia a *quin* incipiente conjunctivus perfecti fut periphr. pro condicionali II positus est. Exempla sunt haec:

Planc. or. § 50: quo quidem tempore, Laterensis, si id facere voluisses aut si gravitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, — — —, non dubito, quin omnis ad te *conversura fuerit* multitudo.

[1]) Vide pag. 54.

Or. Phil. IX, § 1: nec vero dubito, quin, si ille vir legationem renuntiare potuisset, reditus eius et vobis gratus *fuerit* et rei publicae salutaris *futurus*.

Verr. V, § 78: et nunc cuiquam credo esse dubium, quin tu id *commissurus* non *fueris*, —, ut ille archipirata non potius securi feriretur, quam, quod erat ante oculos positum, tuo periculo viveret!

Ad »commissurus non fuerit» ipsa protasis condicionalis deest atque est audienda: nisi pecunia accepta verum archipiratam liberasses (Halm) vel tale quid. Quamquam confitendum est, longius esse repetendum hoc supplementum, ita ut non sine causa Halmius dubitare videatur, an hic locus mutilus sit atque lacuna aliqua sit suspicanda.

Fam. XIII, 18, 1: ego admirabar magis te, qui, si rogatus aut certe admonitus liberaliter Attico respondisses — quod tamen dubium nobis, quin ita *futurum fuerit*, non erat —,**, ultro ad eum scripsisse. Sententia: *quin ita futurum fuerit* respicit protasin condicionalem: *si — respondisses* atque plene exprimi hoc modo potest: quin liberaliter Attico responsurus fueris, si rogatus aut certe admonitus esses.

Ep. ad. Brut. I, 11, 1: Veteris Antistii talis animus est in rem publicam, ut non dubitem, quin et in Caesare et in Antonio se *praestaturus fuerit* acerrimum propugnatorem communis libertatis, si occasioni potuisset occurrere.

Restat, ut afferam or. Lig. § 34, ubi Klotz. lectionem codicum meliorum sequens conjunctivum *plusquamperfecti* fut. periphr. posuit.

Ex. apud Klotz. sic se habet: an potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia *fuisset futurus*, in qua fratres fuerunt.

Neque tamen magis h. l. quam in altero Ligariano exemplo [1]) lectio codicum meliorum est amplectenda. Nam conj. plusquamperfecti fut. periphr. pro condicionali II in sententia secundaria, quae ob aliam causam conjunctivum modum postulet, non nisi in sententia interrogativa, quae a tempore historico pendet, usurpatur (Cfr. pag. 31 et Mdvg., op. acad. alt. pag. 229). Pro *futurus fuisset* igitur *futurus fuerit* est legendum, quod codicibus deterioribus commendatum receperunt ed. Or. alt., Kayserus, Muellerus.

Conjunctivus imperfecti in sententia a *quin* incipiente, quae sumptionem rei non verae continet, immutatus retinetur, Pro ex. afferam:

Marc. or. § 17: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis *excitaret*.

Enuntiationes a ne incipientes.

Quam particulam *ne* conjunctivus futuri periphr. sequitur, ea particula a verbis timendi (vereor, timeo, vide) pendet. Quod vero illa particula *ne*, quae formam periphrasticam regat, tantum a verbis timendi pendet, id haud scio an probet sententiam Kühneri, qui docet (Ausf. Gramm. § 189, 1), part. *ne* post verba timendi non pro *finali ne*, sed pro part. *interrogativa*: ob nicht esse habendam. Quod ad significationem formae periphrasticae attinet, videtur objectiva futuri temporis vis esse statuenda.

Con. *praes.* futuri periphr. legitur

Fam. XI, 28, 8 (Matius): non vereor, ne aut meae vitae modestia parum *valitura sit*

[1]) Vide pag. 35.

in posterum contra falsos rumores, aut ne etiam ii, qui me non amant propter meam in Caesarem constantiam, non *malint* mei quam sui similes amicos habere.

Paradox. § 18: tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est, quod est, et id ipsum ne non diuturnum *sit futurum* times.

Duobus locis locutionem illam: *vide ne* conjunctivus praes. futuri periphr. sequitur:

Fam. XI, 21, 4: sed vide, ne tua jam, mi Brute, culpa *futura sit,* si ego quidquam timeam.

Marcell. or. § 26: quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut devictis adversariis rem publicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est, vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus *sit habitura* quam gloriae.

Utroque hoc loco sententia, quae per »vide ne» infertur apodosis est et vero priore loco sumptionis rei possibilis quidem sed incertae, quod tamen non prohibet, quominus conjunctivus *futura sit* conjunctivus futuri simplicis esse possit. Altero autem loco difficilius est dijudicare, cujus generis et qua natura ipsa protasis sit. Praeter hunc locum indicativus perf. futuri periphr. in protasi hypothetica apud Ciceronem duobus locis legitur:

Att. XIII, 27, 1: aliter enim fuissemus in nosmet ipsos, si illum *offensuri fuimus,* paene periculosi; quod ex. minus recte, credo, interpretantur Kühnerus (Ausf. Gr. § 215 adn. 1): wenn wir wirklich die Absicht gehabt haben et Hoppe (zu den Frgm. pag. 19): wenn wir haben verletzen wollen. Ex iis enim, quae proxime sequuntur, videmus, tantum afuisse, ut Cicero in animo haberet Caesarem offendere, ut contra ingenue profiteretur, nullum aliud argumentum epistolae fuisse nisi κολακείαν. Quod quum ita sit, hoc exemplum credo eodem modo esse explicandum quo alterum

Div. II: 20: sin, cum auspiciis obtemperatum esset, *interiturae* classes non *fuerunt,* non interierunt fato. — Hoc loco part. *cum* fere pro *si* posita est, ita ut protasis: *sin interiturae classes non fuerunt* ad hanc sententiam relata pro apodosi sumptionis rei non factae sit habenda. Similiter in priore exemplo sententia: *si offensuri fuimus* apodosis est sumptionis cujusdam verbis non expressae: si ad Caesarem epistolam misissemus ab istis non lectam et mutatam. His igitur duobus locis indicativus perf. futuri periphrastici pro condicionali II positus est.

In nostro vero exemplo res aliter sese habet. Quo quidem loco propter formam sententiae primariae ipsa protasis ad genus irreale referri non posse videtur. Neque aliam video explicandi rationem nisi eam, qua ut apodosis ad tempus futurum, sic protasis ad tempus praesens, non praeteritum referatur. Quod credo fieri posse, si sententia illa: *ut — relinqueres,* quae ad protasin pertinet, non pro mere consecutiva, sed ea, cui finalis vis sit admixta, habeatur. Suethice igitur non: så att du lemnade, sed: så att du *skulle* lemna. Hoc modo credo ex protasi ascripta alteram derivari posse: itaque si tibi patria nunc, cum adversarii devicti sunt, relinquenda est in eo statu, in quo nunc est. Atque ad hanc protasin facile ita refertur apodosis: vide ne habitura sit, ut »habitura sit» pro conj. futuri simplicis accipi possit.

Conj. *imperfecti* futuri periphr. post *ne* legitur

Verr. V, § 163: etenim verebatur, ne populus Romanus ab isto eas poenas vi repetisse videretur, quas veritus esset, ne iste legibus ac vestro judicio non *esset persoluturus.*

In locis allatis part. *ne* cum conj. fut. periphr. conjuncta a verbis timendi pendet. Uno tantum loco post *ne mere finale* conj. fut. periphr. positus est:

Invent. II § 66: veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat aut factum aut *futurum sit.*

Hoc loco sane necessaria est forma periphrastica, ubi tria illa tempora: praesens, praeteritum, futurum inter se dijungantur, neque quidquam valet ad usum futuri periphr. in sententiis finalibus confirmandum.

Conj. fut. periphr. ad particulas nedum et forsitan positus.

Uno loco apud Ciceronem *nedum* particulam sequitur conjunctivus praes. fut. periphr.:

Leg. Agr. II § 97: singularis homo privatus — vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet: nedum isti — non statim *conquisituri sint* aliquid sceleris et flagitii.

De particula, quae est *nedum*, omnes, quorum quidem sententiam ego cognoverim, grammatici in eo consentiunt, quod conjunctionem esse statuunt et vero finalem diserte denuntiant Draegerus (Hist. Synt. § 542, 6), Kühnerus (Ausf. Gr. § 148, c), Lattm.—Müllerus (§ 145 adn. 3), Zumptius (Lat. Gr. § 573). Zumptius quidem l. c. docet, part. nedum (= um nicht zu sagen, geschweige denn dass) suam accepisse significationem a simplici conjunctione finali *ne*. Quod eo confirmatum vult, quod *ne* quoque conjunctio sine *dum* monnumquam eundem habeat usum eandemque significationem. Pro exemplis afferuntur Sall. Cat. 11, 8; Liv. 3, 52, 9. Draegerus, Hist. Synt. § 542, 7, postquam universe adnotavit, *ne* pro *nedum* rarum esse, addit *Cic.* Verr. IV § 52; p. domo § 139; fam. 9, 26.

In hac fere omnium virorum doctorum consensione, multum tamen dubitavi, num vera esset haec doctrina. Atque primum in eo offensus sum, quod in tanta exemplorum serie particulae *nedum*, quanta a Draegero affertur, nullum, quantum ego judicare possum, inest exemplum, quod significationem principalem: på det att icke, för att icke prae se ferat, quum inter pauca illa particulae *ne* pro *nedum* exempla a Dr. allata certe id, quod primum posuit, Verr. IV, § 52, hanc principalem vim tam ostendat, ut vix crediderim huc esse referendum. Est enim ita: scuta si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentum caelatum domo quod alter eriperet protulisse. — Potius, credo, hoc exemplum id habet proprietatis, quod sententia finalis priori sententiae ita subjicitur, ut βραχυλογία illa, cuius mentionem fecit Dr., Hist. synt. § 546, hic sit statuenda: hoc ideo dico, ne putetis.

Atque omnino si hoc ex. fuit hic proferendum, non tam idoneum est, quo usus particulae *ne* pro *nedum* demonstretur, quam quo indicetur *quomodo* a principali et finali significatione altera et secundaria orta sit. Quae quidem altera particulae *nedum* significatio: *eo minus, multo minus* in hoc exemplo tum demum oritur, si verbum »putetis» omittitur, atque sententia a *ne* incipiens hanc accipit formam: ne quis — protulerit = nedum quis — protulerit ɔ: än mindre kan ngn — hafva framtagit.

Magis huc pertinet id ex., quod secundo loco posuit Dr.: de domo sua ad pont. or. § 139: si M. Horatius ille Pulvillus — huius modi alicui dedicationi praefuisset, tamen in scelere religio non valeret, ne valeat id, quod imperitus adolescens — fecisse dicatur.

Neque tamen ne in hoc quidem ex. principalis significatio admodum est obscurata: facile enim hoc quoque in ex. βραχυλογίαν illam perspicias: hoc ideo dico, ne valeat. Contra in tribus reliquis ex. finalis vis particulae *ne* ita obscura est, ut tantummodo duplici ellipsi illustretur.

Ut Liv. III, 52, 9: »novam eam potestatem (tribuniciam) eripuere patribus nostris, ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium» haud scio an ad propriam part. *ne* significationem illustrandam illud: *ne ferant* ad similitudinem transferendum sit loci illius Verrini: ne quem putetis — protulisse. Hoc modo pro: *ne ferant* oritur plenior sententia: (hoc ideo dico), ne eos putetis laturos.

Deinde illud observandum, particulam *nedum* jam apud Terentium inveniri usurpatam, *ne* autem pro *nedum* apud posteriores demum classicosque scriptores rarissime esse usurpatum. Quae quum ita sint, haud facile adducor, ut credam, *nedum* cum *ne* finali esse conferendum ejusque propriam significationem a finali esse deducendam. Neque invenio quidquam obstare, quominus *nedum* particulam negativam, non conjunctionem finalem esse putemus atque ex negandi particula *ne* et *dum* compositam proprie significare: icke då. Conjunctivum autem, qui hanc part. sequitur, ad genus potentiale referendum censeo.

Ita in exemplo illo, quod primum in litteris latinis part. *nedum* nobis occurrit, Ter. Haut. 452: »satrapa si siet amator, numquam sufferre ejus sumptus queat: nedum tu possis,» illud: *nedum tu possis* proprie significare puto: icke torde då du kunna det ɔ: quum ne satrapa quidem eius sumptus sufferre queat, quomodo igitur tu possis? i. e. multo, etiam minus tu possis. Ad significationem part. *dum:* då, under sådane förhållanden conferas velim eundem fere part. temporalis *tum* usum. Neque illud obstare videtur, quod *ne* in nedum vocalem productam habet. Eandem enim productionem reperimus in *nequiquam, nequaquam*, quum in *neque,* quamquam sequuntur eaedem consonae *qu* vocalis *e* brevis sit.

Postremo dubito, an illud quoque exemplum Ciceronianum, unde primum profecti hanc instituimus disputationem, aliquid pertineat ad nostram de particula *nedum* sententiam comprobandam et confirmandam. In hoc ex. enim sequitur particulam *nedum* conjunctivus praes. futuri periphr., quum conjunctionem *ne* conjunctivus futuri periphr. non excipiat nisi ubi *ne* pendeat ex verbo timendi. Conjunctivus autem futuri periphr. ut *potentialis futuri temporis* non videtur a sermone Ciceroniano prorsus esse alienus, ubi de re agitur, quae ad futurum tota pertineat, ut nihil ei cum praesenti tempore commune sit, id, quod in nostrum, credo, exemplum plane cadit. Hic enim agitur, quomodo sese gesturi sint novo in domicilio coloni, quorum deductionem nondum factam Rullus adsequi studet.

Eodem modo conjunctivus praesentis fut. periphr. ut potentialis futuri particulam, quae est *forsitan,* sequitur

Att. XII, 18, 1: quae res forsitan *sit refricatura* vulnus meum.